

Dionem libro XXXIX. Sed ea ad patrem potius iuris consulti per
tinere, temporum ratio indicat: quemadmodum & quæ in senatus
consulto à Cælio ad Ciceronē in epistolis misso: forteq; etiam quæ
de Atteio quodam copiarum ductore per Octauij, et L. Antonij bel
lum scribit Appianus libro V. Bellorum ciuilium. Sed & illud quod
scribit Paternulus, Capitonem senatorij ordinis uirum, patrum
suum, Agrippæ, C. Cassium de cæde Cæsaris lege Pedia accusanti
subscripsisse, ad patrem melius quàm ad filium referas: quasi iam tū
ab eo hereditarias acceperit partes Cæsarianas filius. licet hoc ma
lit Zasius filio ascribere. Fuit et quæstor Iudææ Capito quidam, C. 10
Caligulae imperio, ut Philo Iudæus scribit, quem non temere filium
huius iuris consulti existimaueris. Quendam etiam Capitonem in
ter primarios declamatores memorat Seneca: Plinius unior Titium
Capitonem scriptorem uirorum illustrium. Sifinnium quoq; & Ase
nium Capitones inuenio. Sed ut ad nostrum redeamus, libros hos
conscriptis: Commentaria ad XII. tabulas: Colletaneorū libros
CCLX. de Pontificio iure, cuius consultissimus fuit, septem: de Se
natoris officio unum: de Iure sacrificiorum decem: Commentarium
etiam de Iudicij publicis. Exijs operibus permulta citantur à Gel
lio, Festo, Macrobio, Nonio, Frontino. 10

M. COCCEIUS NERVA PATER
ET FILIUS.

M. Cocceius Nerva iuris consultus, Cocceium Neruam pa
trem habuit, qui cum L. Gellio triumuirali dominatu con
sul fuit, & conciliandæ inter Antonium & Octauij amicitie sese
cum Mæcenate interposuit. Narniense familie genus. Nerva ipse iu
ris consultus Labeonis sectam excepit, & dissensiones disciplinarū
cum Capitonis successoribus adauxit. Is omnis diuini atq; humani
iuris sciens, eaq; cognitione illustris, familiarissimus atq; assiduus Ti
berio Cæsari fuit. In curatione aquarum (quod munus principibus 10
in ciuitate iuris dari cōsueuerat) Satrio Ruso successit, Seruio Cor
nelio Cethego, L. Vifellio Varrone Coss. anno post natum Christū
quinto ac uigesimo. Biennio post solus ex senatorio ordine Cæsa
rum

rem in Campaniam atq; insulam Capreas secedentem secutus est,
ibiq; cum eo annos ferme octo permansit. Traditur etiam ante con
sulatu functus. quod extraordinario ac sufficitio munere ei con
tigisse existimo: atq; ideo nullum annum in commentarijs conscribit.
nec sciri potest, quibus Coss. gesserit consulatum. Anno postquā
secesserat, ferme octavo, cū Tiberius omnia cædibus ac libidine re
pleuisset, uir prisca probitatis Nerva, eius cōsuetudinis impatiens;
integro statu, corpore ille so, moriendi consilium cepit. Quod ut
Tiberio cognitum est, assidue Neruæ causas requirere, addere pre
ces: fateri postremo, graue conscientia, graue fama sua, si proximi
amicorum nullis moriendi rationibus uitam fugeret. Auerfatus
sermonem Neruæ, cum diu nullis precibus elici ab eo responsum po
tuisset, abstinentiam cibi continuauit, atq; ita uitam finiuit. Cause
mortis præcipue ferebantur à gnaris cogitationum eius: quod quan
to propius mala Reipublicæ intueretur, præ ira ac metu, dum inte
ger, dum intentatus esset, honestum finem uoluerit. Alij præter alias
hanc addunt: quod leges à Cæsare positas de condemnationibus re
periret, unde infidelitatis plurimum ac tumultus provenire oportere
ret. Caterum adeo commotus est tacito mortis eius conuicio Tibe
rius, ut confestim ad mitigandas usuras uiginti quinque festertiorum
millia in publicū contulerit, unde gratuito indigentibus in triennio
mutuò daretur, & celeberrimos ac notissimos quoq; accusatores
iussit uno die interfici. Reliquit filium Nerva eadem uiris cognitio
ne celebrem, qui libros de V. Iucapiombus reliquit. Eo natus est Ner
ua ille, qui Romanum imperium optime omnium gessit, ut non modo
Nerua hic probitate conspicuus ipse fuerit, sed filio, nepote, ac de
inceps propinquis: præsertim uero arrogato Traiano opt. principe
iurisq; diuini atque humani consultissimo, deincepsq; adoptione op
timatorum principum ad Commodum usque censendus sit. Nerva si
10 lius (si Vlpiano credimus) annum agens ætatis septimum ac deci
mum, aut paulo plus de iure publicè respondit. Fuerunt
& Syllij & Licinij Neruæ, sed aliæ gentes,
nec nisi cognomine similes.

Masurius Sabinus è plebe homo, Atteio Capironi in discipuli na iuris successit, et Cocceium Neruam amulum habuit. Receptus est in equestrem ordinem iam grandis natu, & annorum ferè quinquaginta. Ei neq; amplæ facultates fuerunt, sed plurimum à suis auditoribus sustentatus est: obtinuitq; à Tiberio Cæsare, ut sibi de iure responderè liceret. atque ita publice primus rescripsit. Nam, ut obiter sciamus, ante tempora Augusti, publice respondendi ius non à principibus dabatur, sed qui fiduciam studiorum suorum habebant, consulentibus respondebant: neque responsa utiq; signata dabant, sed plerumq; iudicibus ipsis scribebant, aut testabantur. illos ij, à quibus consulti fuerant. Primus Octavianus Augustus, ut maior iuris autoritas haberetur, constituit ut ex autoritate eius responderent: & ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit. Vnde paulo post effectum est, ut pestis humani generis Caligula, inter cætera liuoris ac malignitatis in omnes claros uiros scelerata, de iuris quoque consultis, quasi scientiæ eorum omnem usum aboliturus, sepe iactauerit, se, me hercle, effecturum, ne quid responderè possent, præter æquum. Postea deinde optimus princeps Adrianus, quasi pristinum morem & libertatem relaturus, cum ab eo iuri peritii peterent, ut sibi liceret respondere, rescripsit eis: hoc non peti, sed præstari atq; effici solere. Et ideo si quis fiduciam sui haberet, placiturum se populo ad respondendum se præparare. Postremò res eò deuenit, ut retento Augusti more, nemo iuris consultus appellaretur, aut publice ius interpretaretur, deq; eo responderet, nisi eam autoritatem à principe impetrasset. Quorum omnium sententiæ & opiniones in tantum honoris uenerè, ut ex principum constitutionibus recedere ab eorum responso iudicibus non liceret: et ex horum tantummodo scriptis Iustinianus confici Pandectas suas, cæteris reiectis, uoluerit. Extat de Masurio illud in Satyra Per sijn carmen in persona Libertini.

Vindicta postquam meus à prætore recepsi,
Cur mihi non liceat, iusit quodcumq; uoluntas,
Excepto si quid Masuri rubrica uetauit.

Et

Et (ut quidam putant) epistola Plinij Cæcilij lib. IIII, qua eum ut religio sum defensorè supremarum uoluntatum laudat. Sed ego ad illa tempora non puto peruenisse Masurium. Opera hæc ab eo feruntur relicta: Memorabilium libri duodecim: Iuris ciuilis tres Commentarij de Indigenis: liber de Furtis. unde multa Gellius Macrobiusq; nominatim sumpserè.

CASSIUS LONGINVS.

Cassij Patricij iam inde ab initio Romane libertatis magni atq; ampli extitere. Sp. enim Cassius, cognomento Becellinus (Vscellinum, Vicellinum autores, aut librarij uariant) octauo post pulsos reges anno Cos. duos deinde alios, & magistrum equitum primus gessit. Postremo cum iactanda lege Agraria, quæ nunquam deinde sine maximis motibus rerum agitata est, ea largitione captare animos plebis, & sibi uiam ad tyrannidem facere uideretur, ubi primum magistratu abijt, damnatus necatusq; est. Sunt qui patrem autorem eius supplicij ferant: Eum, cognita domi causa, uerberasse ac necasse, peculiumq; filij Cereri consecrauisse: signum inde factum esse & inscriptum, ex Cassia familia datum. Sed quæ familia primum molitorem tyrannidis dederat, eadem post multos in
signes uiros, acerrimum undecim Libertatis protulit C. Cassium, Iulij Cæsaris interfectorem. Longini cognomen habuisse primus legitur Q. Cassius Cos. anno V. C. DXX. multiq; deinde amplissimis sancti magistratibus. Insignis est in genere & L. ille Cassius prætor, cuius tribunal propter nimiam seueritatem, scopulus reorum dicebatur. Ex hac gente Cassius Longinus natus ex filia Tuberonis, nepte Seruij Sulpitij, propè hereditariam iuris ciuilis scientiam exercuit, cum proauum Sulpitium, Tuberonè auum maternos habuisset. Is Masurio Sabino successit, & Castianorum nomen suis reliquit, princepsq; & parens eius scholæ est habitus. Hunc alij C. alij
L. prænominant. Consul fuit cum Quarto, quem alij M. Vinitium uocant, anno imperij Tiberij Cæsaris decimo septimo. In quo quid gesserit, uir alioqui ingentis spiritus, quoniam eius anni historia apud Tacitum desideratur, sciri non satis potest. Sequenti anno

T 3 CMLIII

cum atroces in Senatu sententia in Iulium Tiberij quondam uxorem dicerentur. Et ut bona Seiani, qui ex maxima principis gratia in seuisimam ignominiam ac necem deciderat, erario ablata in fiscum referrentur, in ijs et Cassius idem assueuratione multa censuit. Extremo deinde Caligulae principatu, cum Asia Proconsul esset: et Fortuna Antiatinae Principi respondissent, ut à Cassio caueret, immemor Princeps Cassium Cherea quoque, à quo postea occisus est, esse nomen, interficiendum Cassium Longinum delegauerat. Sed fatalis necessitas ingruens Caligulae Longinum seruaui. Rerum inde potiente Claudio, Cassius Syriae praefecturam accepit. Marso succedens. Qua in prouincia cum esset, sacerdotalem stolam Pontificis Iudaeorum, qua ille solemnibus modò sacrificijs utebatur, magno sumptu elaboratam, in custodiam Romanorum redegit. Ea enim cum antea usq; ad Tiberij tempora in turri, quam Barin uocabant, seruaretur: ut ut pridie sacrificiorum, adhibito Pontificis Iudaei sigillo & ducis praesidij Romani promeretur, & peractis sacris, eodem inspicente, conderetur: Tiberius in gratiam Agrippae Regis, stolam potestati omnino Iudaeorum permiserat. Hanc igitur Cassius cum Cuspio Fado procuratore Iudaeae, in Antonianam (sic enim turrim, quae prius Baris dicebatur, in Antonij gratiam Herodes Rex uocari iusserat) turrim deponi iussit: Romanos enim ut prius principes esse oportere, neq; de ueteri iure quicquam detrahi. Id enim petiturus de Iudaeis Cuspium, uerius ne non obtemperaret gens religionis & sacrorum tenacissima, cui tum ipse praerat, Cassium cum magnis copijs acciuerat. Rogati igitur populo, ut praesides spacium indulgeret legatos ad Claudium Caesarem super eare mittendi, concessum est, acceptis filijs obsequiis, tandemq; res à Caesare impetrata. Et cum legati Parthorum Meherdatis eius gentis, qui tum Roma erat, in Regem aduersus tyrannidem Gotarxis expetissent, Princeps missum Meherdatem cum literis, Cassio, ut ad ripam Eufratis annis de 30 ducatur, mandat. Cassius ea tempestate ceteros praecaminebat peritia legum. Militares enim artes per otium ignota, inuastrosq; ac ignauos pax in æquo tenet. Autamen quantum sine bello dabatur, reuocare

care praecisum morem, exercere legiones, cura, prouisu perinde agere ac si hostis ingrueret: ita dignum maioribus suis & familia Cassia, per illas quoq; gentes, ob uirtutem egregiam C. Cassij eius, qui C. Iulium Caesarem tyrannum interemerat: & Pompei legatus eam aliquando prouinciam obtinens bella cum Parthis gesserat, celebrata ratus. Igitur exciis ijs, quorum de sententia petitus Rex fuerat, postisq; castris apud Zeugma, unde maxime peruius annis, postquam illustres Parthi, Rexq; Arabum Abbarus aduenerat, monet Meherdatem Cassius Barbarorum impetus primo acres, cunctatio ne inde languescere, aut in perfidiam mutari. Itaq; iurget cecepta. Quod spretum fraude Abbari, Meherdatem in perniciem ac manus inimicorum deduxit. Post nouennium, Nerone iam dominantem exercebat, nunciata de Parthis uictoria, cum finis non fieret agendis supplicationibus, referendisq; inter festos dies, quibus parata uictoria, & ad Senatum nunciata relataq; esset: aliq; in eandem formam nimis modum egressa decernerentur, Cassius cohiberi non potuit, quin de ceteris honoribus assensus, diceret in Senatu, si pro benignitate Fortunae dijs gratiaegerentur, ne totum quidem annum supplicationibus sufficere, ideoque oportere diuidi sacros & negotiosos dies, quibus diuina colerentur, neq; humana impedirentur. Eodem anno tumultuantibus seditione plebis in senatorum ordinem Puteolanis, Cassius adhibendo remedio delectus est: cuius cum seueritate non tolerarent, precante eo, ad alios ea cura translata est. Triennio inde, cum ageretur in Senatu de nece Pedanii Secundi praefecti urbis, quem seruus eius, seu propter negatam libertatem, cui precium pepigerat, siue amoris exoleti insensus, et dominum amulum non tolerans, interfecerat, & ex ueteri more familiarum omnem, quae sub eodem tecto mansuauerat, ad supplicium agi oporteret: ac concussu plebis, quae toti innoxios protegebatur, ad seditionem usq; uentum esset, senatoribusq; studijs in contrarias partes inclinantibus, inter eos, qui nihil mutandum censebant, Cassius sententia loco in hunc modum disseruit: Saepenumero P. C. in hoc ordine interfui, cum contra instituta et leges maiorum noua Senatus decreta postularentur: neq;

neq. sum aduersatus. non quia dubitarem super omnibus negotijs melius atq. rectius olim prouisum, & quæ conuerterentur in deterius mutari. sed ne nimio amore antiqui moris studium meum extollere uiderer: simul quicquid hoc in nobis autoritatis est, crebris contradictionibus destruendum non existimabam, ut maneret integrum, si quando Respublica consilij equisset: quod hodie euenit, consulari uiro domi suæ interfecto per insidias seruales, quas nemo prohibuit aut prodidit. quamuis nondum concusso senatus consulto, quod supplicium toti familie minitabatur, decernite hercule impunitate. At quem dignitas sua defendet, cum præfectura urbis non profuerit? quem numerus seruorum tuebitur, cum Pedanium Secundum quadringenti non protexerint? cui familia opem feret, quæ ne in metu quidem pericula nostra auerit? An, ut quidam fingere non erubescunt, iniurias suas ultus est interfecto? quia de paterna pecunia transfegerat, aut autum mancipium detrahebatur, pronunciemus ultro dominum iure casum uideri. Libet argumenta conquerere in eo, quod sapientioribus deliberatum est. sed & si nunc primum statuendum habermus, creditis ne seruum interficiendi domini animi ita sumpsisse, ut non uox minax excideret? nihil per temeritatem proloqueretur? sane consilium occultuit, telum inter ignaros parauit. Num excubias transfret? cubiculi fores recluderet? lumen inferret? cædê patraret, omnibus nescijs? Multa sceleris indicia præueniunt. serui si prodant, possimus singuli inter plures, tuti inter anxios: postremo, si perendum sit, non inulti inter nocentes agere. Suspecta maioribus nostris fuerunt ingenia seruorum, etiam cum in agris aut domibus iisdem nascerentur, charitatemq. dominorum statim acciperent. postquam uero nationes in familijs habemus, quibus diuersi ritus, exteriora sacra, aut nulla sunt, colluuiem istam non nisi metu cohercueris. At quidam in fontes peribunt. num & ex fusio exercitus, cum decimus quisq. fuisse feritur, etiam strenui non sortiuntur? Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos, uilitate publica reperiatur. Sententiæ Cassij, ut nemo unius contrare ausus est, ita dissonæ uoces respondebant, numerum, aut aetatem

sem, aut sexum, ac plurimorum dubiam innocentiam miserantium. Præualuit tamen pars, quæ supplicium decernebat. Quadriennio post, cum Poppeæ Neronis coniugi mortuus funus fieret, Cassio Nero officia exequiarum prohibuit. quod primum illi iudicium mali fuit: neq. in longum dilatum est. Igitur missa ad Senatum oratione, remouendum Cassium à Republica disseruit: obiecitq. quod in uetere gentili stemmate, inter imagines maiorum, etiam C. Cassij tyrannidoni effugiem restituisset, ita inscriptam: Duci partium. semina enim belli ciuilis & defectionem à domo Caesarum quæsitam: ac ut memoria tantum insensu nominis ad discordias uteretur, assumpsisse L. Syllanum, iuuenem genere nobilem, animo promptum, quem nouis rebus ostentaret. Is disciplina Cassij, apud quæ educatus fuerat, ad magnam claritudinem euaserat. Inducit posthac sub nomine indi cum, qui in Lepidam Cassij uxorem, amitam Syllani, incestum cum fratris filio, & diros sacrorum ritus confingerent. Tunc Senatus consulto exilia Cassio & Syllano decernuntur, de Lepida Caesar statuere. Deportatus est in insulam Sardiniam Cassius, & Senatus iussus expectabatur. Syllanus quoque relegatus paulo post iussu Neronis submissio percussore occiditur. Alij deinde multi, ut conscij, uexati sunt. Aded calamitas illa dira ciuitati Romanæ incubuerat, ut senem iuris peritissimum luminibus orbatum (nam id quoq. de Cassio traditur) nullo crimine, nisi quod opibus uetusitis et grauitate morum præcelleret, affligere non dubitauerit. Et sunt, (si dijs placet) qui principis inuis libidinem publicæ libertatis, anteponendam putent. Caterum ad Cassium redeamus, qui beneficio longissime ætatis, Republica ad meliorem Principem delata, à Vespasiano de relegatione reuocatus, uitam in patria finiuit. Domum habuit quæ postea testamento Numidiæ Quadratillæ ad Quadratum oratorem deuenit. Fuit et alius Longinus ex equestri ordine, qui postea ad præturam usq. peruenit. Ad quem cur potius exilium retulerit Aimarus Allobrox, quam ad consularem illum iuris consultum, equidem causam non inuenio: cum ex Tacito apertissime constet de iuris perito dictum. Alium C.

V
Cassium

Riualij
error.

Cassium quidam memorant per Hadriani tempora, qui decem liris
 ciuili libros scripserit. ad quem mulierem quandam cum quinque libe-
 ris, uno partu editis, adductam ait. Cassium & Macrobius citat. In-
 uenio etiam L. Cassium Longinum iisdem temporibus plebeio gene-
 re, uerum antiquo honoratoque, qui seuera patris disciplina educatus,
 facilitate sepius quam industria commendatus fuerit: Cui Dru-
 sillam, Germanico Tiberij ex Druso fratre nepote & adoptiuo filio
 ortam, Tiberius in matrimonium dederit, superque ea re cum leui ho-
 nore iuuenis ad senatum scripserit, ac triennio post, cum urbs graui
 incendio afflicta esset, aestimando cuiusque detrimento cum tribus so-
 roribus & P. Petronio praefecerit. Eam Druillam adeo amauit C.
 Caligula Imperator, quamuis sororem, ut et antequam Longino col-
 locaretur, uirginem praetextatus adhuc uitauerit, & in concubitu
 etiam eius quondam deprehensus sit ab aua Antonia, apud quam si-
 mul educabantur. mox Longino nuptam abduxit, & in modum iu-
 ste uxoris propalam habuit. Haeridem quoque bonorum atque imperij
 aeger instituit. Eadem defuncta, institutum indixit, in quo risisse, la-
 uasse, cenasse cum parentibus aut coniuge liberis uel capitale fuit.
 Ac meroris impatiens, cum repente noctu profugisset ab urbe, tran-
 scurrissetque Campaniam, Syraculas petijt, rursusque inde properere
 dicit, barba capilloque promisso. Nec unquam postea, quantum de
 rebus, ne pro concione quidem populi, aut apud milites nisi per no-
 men Druillae deierat. Haec addidimus, quod aut filius fuisse, aut
 omnino aliquid atinuisse Longino is iuuenis existimari poterat. Nam
 ut hic ille sit, qui ad praeturae usque peruenit, impedit, quod consula-
 rem eum appellat Suetonius. Apposimus etiam epigramma quoddam
 uetus libertorum Longini, Romae repertum.

D. M.

C. Cassius Verecundus fecit sibi et Cassiae Damalidi libertae caris-
 simae & bene mer. idem coniugi, & C. Cassio Cotino, & Cassi-
 aie Moschidi parentibus, suis iisdem patron. libertis C. Cassij Longi-
 ni, & libertis suis, libertabusque posterisque eorum.

AMINIUS

Aminij Rebij nihil praeter mortem & epitaphium inuenimus.
 Sed quia eum Tacitus peritia legum inter primores nume-
 rat, usum est inferere. De maioribus nihil comperi. ipse pecuniae di-
 tissimus, fame non admodum bonae fuit, ob libidines muliebriter in-
 famis. Mortem tamen opinione hominum constantius tulit, atque adeo
 sumpsit. Cruciatu enim aegrae senectae, misso per uenas sanguine,
 effugit, obiit imperij Neronis anno tertio.

PROCVLVS.

Scholam & disciplinam Nerae patris Proculus excepit. Ma-
 gna is autoritate fuit ac plurimum potuit, non in ciuili modo
 scientia: in qua tanti fuit, ut qui prius a Laeone ac Nera nomen
 accipiebant ab eo Proculiani caepi sint dici: sed (opinor) etiam in
 Republica. Hunc non eum esse arbitror (multi enim & prisca tem-
 poribus, & illo aeo Proculi exiit) qui C. Accerronius Proculus
 uocatus, & cum C. Pontio Nigrino Cos. fuerit, extremo Tiberij
 principis anno. Caligula dominationem ingressus, cum decretum in-
 tercessisset, ut Coss. magistratu se abdicarent, quo principi daretur,
 id quidem abnuuit Imperator, sed una tamen ipse ac Claudius pra-
 truis cum illis consulatu gessere. Sed ne eum quidem puto, quem Coc-
 ceum Proculum uocat Tacitus, & speculatorem fuisse indicat: nec
 quem Plinius Caecilius ut poetam bonum memorat, sed Licinium il-
 lum Proculum, qui Othonianas partes secutus, caeso Galba, pra-
 fectus praetorio creatus est. Fuerat is intima familiaritate Othoni
 coniunctus, ac suspectus consilia eius fouisse. Post, Othone iam re-
 rum potito, cum seditio ac tumultus militum ipsorum in urbe exor-
 tus esset, Proculus milites allocutus, promissis quinque millibus num-
 mium, turbas sedauit. Cumque Otho obuiam ire Vitellio contende-
 ret, plurimum spei & fiduciae in Proculo collocauit. itaque eum pe-
 ditum equitumque copiis praefecit: is enim urbanae militiae impiger,
 bellorum insolens, caeteros criminando prauus & callidus bonos et
 modestos anteibat. Cum prope hostes uentum esset, agitante consi-
 lia Othone, an bellum trahi oporteret, caeteris ducibus trabendum
 putantibus, Proculus inclinatum in diuersam sententiam principem
 V 2 adulatione

adulatione atq; imperita properatione iuuit: Fortunam enim, quod
 & copia alacres, & uictoria recens esset, & princeps hostium Vi-
 tellius aberat, Deos quoq; & numen Othonis adesse consilijs, una
 cum Ticiano fratre principis testabatur. Itaq; postquam pugnant ple-
 cuit, idem autor principis, ne praelio interesset, ut Brixellum se con-
 ferret, impulit: ibiq; dubijs praeliorum exemptus, summæ rerum &
 imperio se ipse referuaret. Quæ res in primis partes eius afflixit,
 Profecto itaq; Brixellum Othone, honor imperij penes Titianum
 fratrem, ius atq; potestas ad Proculum resedit. Qui postis ridiculè
 castris inter media flumina atq; aquas, milites siti consciebantur. Et
 cum post die in hostem procedere uellet, itinere XX. millium am-
 plius, neque Paulinus collega assentiretur, superuenere à Bebriaco
 Othonis literæ, quibus rem quamprimum decernere iubebantur. Vbi
 igitur uentum in pugnam est, confuso agmine fusi Othoniani, ita ut
 apparuerit non ignauia militum, sed ducum temeritate peccatum. In
 fuga Proculus castra uitauit. Aliquanto post ueniente in Italian Vi-
 tellio (nam duces absente eo ad Padum Othonianos deuicerant) cū
 cæteris ducibus occurrit & Proculus, quem cum Suetonio Paulino
 primum tristi mora squalidum tenuit, donec auditi, cum necessarijs
 magis defensionibus quam honestis uterentur, proditiōe ultro sibi
 imputabant: spaciū longi ante praelium itineris, fatigationē Otho-
 nianorum, permixtum uehiculis agmen, ac pleraq; fortuita fraudi
 suæ assignantes. Ita Vitellius credidit de perfidia, & fidem absoluit.
 Hæc omnia ideo de iuris consulto dici interpretati sumus, quod plu-
 rimum potuisse eum Pomponius tradit, id quod de nullo alio Procu-
 lo his temporibus reperiebamus. Nam neque prætorij præfectura à
 iuris consulto abhorrebat, quam postea & Papinianus, tantus in
 civili facultate uir, aliq; gesserint. Neque ultra quicquam nobis de
 Proculo compertum est, nisi quod eum Vlpianus quasi non
 leuem iuris autorem nominat ex rescripto Diuo-
 rum fratrum. Celsus uero etiam filium
 Proculum autorem iuris ha-
 buisse uidetur.

CAELIVS

SUCCESSIT Longino in disciplina iuris Cælius Sabinus. Is ab O-
 thone bimestrem Quintili scilicet & Sextili mense Consula-
 tum cum Flauio Sabino ante acceperat, quorum honori ne Vitellius
 quidem uictor intercessit. Vespasiani tamen postea temporibus plu-
 rimum potuit, siue quod cum fratre eius Flauio Sabino amicitia &
 consultiu coniunctus fuerat, siue quia initium Vespasiano imperij pri-
 mo eius Consulatus die, Calipis Sexti feliciter acceperat: Alex-
 andro Tiberio in Vespasiani sacramentum Alexandria adigente.
 Isq; primus Principatus dies in posterum celebratus est. Librum de
 Edicto ediliū curulium scripsisse dicitur: in quo multa scripsit de
 Venalium seruorum legibus. Id enim erat præcipuum argumentum
 edicti edicti.

SEX. PEDIVS.

Quo tempore uixerit Pædus, in incerto est. Mihi non admo-
 dum abesse à uero uidetur, hominem circa hæc tempora po-
 nere, illumq; ipsum esse, quem significat Perseus in Satyra etiam O-
 ratorem eloquentissimum extitisse, illis uersibus:

Fur es, ait Pædio, Pædus quid: carmina raris

Librat in antihetis, doctas posuisse figuras,

Laudatur.

²⁰ Nisi tamen malimus in Persio eum accipere, de quo & Horatius (so-
 let enim Persius uti nominibus & personis Horatianis.)

Cum Pædus causas exudet publicis.

Traditur & de Pædio Blæso temporibus Neronis, qui sit repetunda
 rû & furti damnatus. Sed quicq; fuerit is iureconsultus, et quacq;
 etate, libros reliquit de Stipulationibus: item ad Edictum quinq; ac ui-
 ginti, unde multa citantur a plerisq; autoribus Iustiniani Digestorū.
 Quod indicio est hominē et satis antiquū esse, et magnæ autoritatis.

PEGASVS.

PROCVLVS SUCCESSIT in disciplina iuris Pegasus. Is tempori-
 bus Vespasiani Cos. fuit cum Pustone. Quo magistratu in
³⁰ uerba eius factum est s. c. ut ei, qui rogatus esset hereditatem re-
 stituere, perinde liceret quartam partem retinere, sicut per legem
 Falcidiam ex legatis retinere iam pridem licuerat. Ex singulis quoq;
 V 3 rebus

rebus per fidei commissum relictis, eadem permissa retentio est. Illud quoque eodem s. c. cauebatur, ut, si recusasset scriptus hæres adire hereditatem quasi suspectam atque damnosam, desiderante fidei commissario, iussu prætoris adiret et restitueret hereditatem. Cuius decreti multa abrogauit Iustinianus, multa in Trebellianum s. c. transtulit, propter captiosas, nescio quas stipulationes. Certe Pegasianum ab eo nomē habuit. Eodem imperante præfectus urbis fuit, atque etiam Domitiano, quod significare uideatur Iuuenalis, honorificentissimo hominis testimonio, ait enim:

Rapta properabat ab olla

Pegasus, attonitæ positus modo uillicus urbi.

An ne aliud tum præfectori: quorum optimus atq;

Interpres legum sanctissimus, omnia, quanquam

Temporibus diris, tractanda putabat inermi

Iusticia. Vexabat enim tunc Roman Domitianus.

PRISCVS IABOLENVS

ET PLAVTIVS.

Secessit Calio Sabino Priscus Iabolenus. Is officijs inter-
fuit, adhibitus consilij est, ac de iure publicè respondit. Tame-
nisi sunt, qui cum inter male sanos numerent. Ad Antonni Pij im-
perium usq; peruenit, eoque est usus princeps iuris perito, cum multa
iura sanciret. Argumentum dementiae eius illud fertur: quod cum
Passenus Paulus splendidus eques Romanus & in primis eruditus,
scriptor elegorum, municeps & gentilis Propertij, recitaret, &
ita carnè cœpisset dicere: Prisce iubes? Ad hoc Iabolenus Priscus:
(aderat enim, ut Paulo amicissimus) Ego uero non iubeo. Hic tibi ri-
sus, ioci, eo maiores, quo uir grauioris p̄fessionis desipuerat, et quod
Paulo aliena deliratio aliquantum frigoris attulerat. E Cassio quin-
decim libros, Epistolarū quatuordecim, quinq; ad Plautium reliquit.
Fuit enim et Plautius inter iuris prudentes celeberrimus. De quo et
si nihil comperti in uita habeo, sepe tamē in libris Legū accitur mil-
tosq; et præcipuos iuris prudentes uel ad eū, uel in opera eius scriptis
se constat. Quanquam de eo quoq; cum multis tacuit Pomponius.

INVENTIVS

PATER AC FILIVS.

Celsus pater Pegaso succedit. De Mario quodam Celfo mul-
ta apud Tacitum in rebus Orthonis inuenio, quorum nihil
pertinere ad hunc nostrum arbitror. Is Celsus & apud Traianum
magno in honore, et Hadriano principi inter iudicandum præcipue
in consilio fuit, cum ille non amicos suos aut comites solum, sed iu-
ris consultos etiam, quos tamen senatus omnis probasset, adhiberet.
Filius quoq; quem quidam Iulium uocant, eodem studio clarus, duos
consularis per Hadriani, ut ferunt, principatum gessit: unum cum
Neratio Marcello, posteriorem cum Iulio Balbo, quem apud Cassio-
dorum non comperio, sed & pro Marcello, Marcellinum ponit. Pli-
nius tamen Cæcilius Marcellus seruat. Est sanè apud eundem Cas-
siodorum Cos. Celsus cum Crispino per Traiani principatum, an-
no XIX. ante consulatum illum cum Neratio, ut positus honos ad
patrem etiam pertinere. Filius libros reliquit Digestorū XXXIX.
Institutionū XX. Epistolarum XIII. Hadriano in consilio fuit. De
Iuuentiorum gente, satis supra demonstrauimus. Extat hodie apud
Alberinos Romæ marmor cum ijs inscriptionibus libelli precum.

VELIVS FIDVS IVBENTIO CELSO

COLLEGAE SVO SALVTEM.

Desideri frater Arri Alphij Arriae Fadille domini N. Imp. Antoni-
ni Aug. matris liberti libellū tibi misi cogniti mihi ex longo tempore
primæ iuuentutis etiam miratus cum ab ædibus essent quot eo lo. se
contulisset, à quo dicitur causā se reuentionis sed & religionis ma-
nope à domino. N. Imp. impetra sita ne qua mora uideatur ei per
nos fieri libellum subscriptum per eundem publicum sine mora mihi
remittas. opto te saluon & felicem es.

EXEPLV LIBELLI DATI

Cum ante hos dies coniugem & filium amissem & pressus neces-
sitate corpora eorum fictili sarcophago commendauerim domi quies-
locus quem emeram ædificaretur uia Flaminia inter miliar. II. &
III. euntibus ab urbe parte leua custodia monumenti Fla. Thume-
les Amelolæ M. Sini Orguli rogo domine permissas mihi in eodem
loco

Requiritio-
nis P. R.

Donec quies-
tis P. R.

Decretum
R. R.

loco in marmoreo sarcophago, quem mihi modo comparavi ea corpora colligere, ut quando ne ego esse desier pariter cum eis ponar, decretum fieri placet. Lubentius Celsus promagister subscripsi. III. Non. Noenib. Antio Polonte & Opimiano Koss. ordinis Sewero & Sabiniano Coss.

NERATIVVS PRISCVS.

IS quoque scholam Celsi patris excepit. Traianus princeps optimus tantopere eum probavit, ut frequens opinio fuerit, eum in animo habuisse, Neratium, non Hadrianum, successorem relinquere, multis id ei amicis assentientibus. usque adeo, ut Prisco aliquando dixerit, commendo tibi prouincias, si quid mihi fatale contigerit. Nam & Traianus ipse (ut quidam tradunt) iuris diuini atque humani consultius fuit. quod magni huic studio honoris loco habendum est. Sed tamen Hadriano, seu favore Plotina, seu propter suspicionem affectatae à Palma et Celfo inimicis eius contra Traianum tyrannidis, in adoptione atque imperij successionem promoti, Neratius inter praecipuos iudiciario consilio affuit. Consulatum etiam (incertum quo tempore) administravit. Quidam addunt ei collegam Antonium aut Antoninum. Eius haec ferebantur uolumina: Membranarum libri septem, Quaestionum tres, Responsorum quingenti, Plautio decem, quatuor Epistolarum, Regularum quindecim, unus de Nuptijs. unde Gellius morem sponsaliorum Latinorum annotat. Neratius praeter hunc aliquot legimus. Neratium Marcellum, ut dixi, nominat Caelilius. Est uero apud Gellium ex libro Labeonis nequam ille Neratius, qui pro oblectamento habebat, os hominis liberi sua manu uerberare, sequente seruo cum loculis plenis asium. & quemcumque dominus depalmarat, numerari statim ex XII. tabulis asses XXV iubebat. Propterea praetores edixerunt, se iniurijs a stimandis recuperatores daturus. atque ita paulatim lex abolita desuetudine est.

DOMITIVS LABEO.

Genitrix Domitiae originem ac progressus, ad imperatorios titulos Neronis à Suetonio relatos, non tam inertia hoc loco praetermittimus,

praetermittimus, quam insituto & consilio, sua apud quemque, autorem relinquendi, nihilque tantum ut transcribam, transcribendi & quod is Labeo familiae ne ac stirpis Domitiae fuerit, nobis in ambiguo est: cum praesertim ea nominum inditione plebeiorum hominum, qui se ipsi adoptabant, et maiorum gentium titulis nuncupabant, magna ex parte corruptam Romanae historiae ueritatem Cicero asseruet. Is, quacumque progenie fuerit, Hadriani temporibus floruisse dicitur, & libros Epitomatum unum, Epistolarum complures ab eo relictos: unde ea sint omnia, quae Tribonianus suis Digestis inseruit. ut Labeonis nomine, non ab Antifilio, quem Politiani errorem repetitum, ut plerumque à Cotta, Riualius Allobrox non absurdè coarguit. Cuius sententiam, ut probem, facit à Labeone citata saepe Labeonis in legibus autoritas. Sic enim malo accipi, quam, ut mihi quodque ipsi aliquando placuit, patrem à filio laudari, quos ambos supra memorauimus.

T. ARISTO.

T. quoque Aristonem, & si omisit Pomponius, nobis non est uisum praeterire. Fuit enim iuris consultus & doctus, & priuati iuris ac publici peritissimus. Quod non modo Gellius indicat, sed Plinius quoque unior honorificentissimis ad eum literis testatur. Consulit enim hominē de obscuro iure quoddam senatorio (quod, & si corruptis exemplaribus, partem ait esse publici) an sententias diuadi, an iuri in singulas oportuerit. atque Aristoni in omnium penē negligentia, & temporum Domitiani iniquitate, superfluisse curae: sic iura publica, ut priuata: sic antiqua, ut recentia: sic rara, ut abundua tractare. Apud eundem alia epistola se purgat, de recitati uersiculis molluscis, in quo illum amice ac simpliciter à quibusdam repraesentum docuerat. Scripsit Aristonem uolumina de decretis Frontiniani. Frontinū enim & Corellū (ut ne hos quidem praeteream) ait idem Caelilius spectatissimos in ciuitate uiros extitisse sua reuestate, et à se in consiliū adhibitos super inefficioso testamento: quos tamē ne scias an inter iuris peritos numeres. idē certe Plinius mortē Corellij, sine ulla eius professionis mentione describit. ideoque omittimus.

Caelij lo-
cus castigatus.

X ALBVRNIVS

I Aboleni auditores, Alburnius Valens, quem quidem Eburniū, Capitolinus Salinum nuncupat (nisi uero duo sint, alter ab alio diuersus Valens atque Alburnius, siue malis Eburnium) & Tuscianus, parum omnino habet, quod in eorum uita memorari possit. Nisi quod Valens traditur Antonino Pio operam suam in iure con-
dendo, atque usum prestitisse, ac reliquisse Fidei commissorū libros septem. Neque uero satis constitutum habeo, hunc illum esse Valentem, ad quem sunt Plinij Cæcilij literæ, cum nonnulla tamen significatione uel iuri uel aduocationibus dediti hominis. illum quidam uero uero fuisse Cos. tradunt.

VINDIVS VERVS, VL-
PIVS MARCELLVS.

HOs quoque Antonino Pio fuisse in consilio, cum iura conderet, quibus non mediocriter incubuit, Capitolinus est autor: sed ita, ut quibusdam quatuor, alijs duo uideantur, quod propius uero est. Vlpium igitur Marcellum etiam Seueri imperio floruisse ferunt, et reliquisse libros Digestorū unum, uel ut est apud alios, octo & triginta. Responsorum unum, sex ad Leges, quibus adijcit Riudius *Questionum* XXIX. de iure militari duos, quinque de Officio Cos. Vtraque familia & Vera & Marcella nobilissimæ, illa uero etiā imperatoria, sed quarum nescias ij nec ne fuerint progenies. Marcella durat in hodiernum Venetijs, & pristinam nobilitatem retinet ut & aliæ aliquot Romæ Calua, Memmia, Balba, Veturia: & ut quibusdam placet, Cornelia, ex fuga seruitutis & barbarietis inportum libertatis principatusque seruatæ.

ARRIANVS.

HAdriani atque Antonini tempora, ut pacata & iusta, multos iuris prudentes tulere. in ijs etiam Arrianum, qui libros ferunt scripsisse complures, præsertim de Re militari. Sunt qui existiment hunc illum esse, qui res gestas Alexandri Macedonis Græcè scripserit, quibus ego non facile assentiar: citius illum extitisse putent, ad quæ multæ sunt Cæcilij epistolæ, quibus eum non tam quasi

Iuri-

Iuris consultiū, quàm ut aduocatum et oratorem, atque adeo Demostheni et Caluo uel orationis parem alloquitur. significatque in senatu uersatum, tandemque in otium secessisse.

TERTVLLIANVS.

EIdem ætati ascribitur Tertullianus, qui libros *Questionum* quatuor, unum de Castrensi peculio edidit. Quidam eum & Cos. fuisse produnt, quod ego apud Castiodorum non reperio, sed Tertullum, quem Cæcilius Cornutum uocat, principatu Antonini Pij, collegam Sacerdotis, ad cuius etiam relationem factum interpretor S. C. Tertullianum, sed Hadriani imperio, de successione matris in bona filij intestati, ad quæ per XII tab. antea non admittebatur. Sunt qui conijciant eundem esse Tertullianum, qui postea religionem Christi amplexus, egregios pro ea libros reliquit. id mihi nondum planè liquet. Extat alioqui apud D. Hieronymum inter scriptores Christianos.

SALUIVS IULIANVS.

SAluius Iulianus cognomento Seuerus origine Mediolanensi, nobili familia, iuris peritissimus fuit. Quam cognitionem à Præscoboleno acceperat, is perpetuum Edictum diligentissimè composuit supplensque, etiam nouo addito capite, quo liberi emancipato patri coniungerentur in bonis possessionibus successionum prætoriarum, anno post natum Christum, CXXXIII, per Hadriani imperium. Cui etiam in consilio, cum iudicaret, assedit. Antonino deinde de Pio ac DD. fratribus amicis & magno in honore fuit. Eum enim quodam rescripto & arcam suam & V. C. appellant. Extat eius apud Pomponium memorabilis illa uox, Et si alterum pedem in sepulchro haberem, adhuc tamen addiscere uellem. Consulatus duos gessit, & præfecturam urbis: sed iuris ciuili scientia maxime nobilitatus est. Reliquit libros *Digestorum* nonaginta, de *Ambiguitatibus* unum, ad *Minutium* sex, ad *Vrseium* quatuor. Hunc nonnulli uetustissimum putant, inter eos, quorum ex operibus digesta Iustiniani Tribonianus confecerit. Constat ex antiquissimis & illi æuo proximis autoribus, paternum proauum fuisse Iurisperitum Didio

X 2 Iuliano,

Luliano, qui post Pertinacem, imperium Romanum à militibus peccata redemit. Tamen si apud alios leuioris fidei scriptores auum, à Politiano autem (per errorem credo) auunculus dicitur. Nam ex Iurifconsulti filio natus Petronius Didius Seuerus, principem ex clara Aemilia genuit. Saluam ad Commodi usque tempora peruenisse, ab eoq; inter principes viros casum, memoriae proditur à Græcis quibusdam autoribus: quorum fidei temporum interualla non satis congruunt, nisi ad extremam senectam uenerit. Imperator ipse proauum iuris gloria adaequasse creditus. Cuius uitam quod optimis plurimisque autoribus, ampliore titulo, inter imperatorias traditū habebimus, conscribendi consilium non fuit. Sepultus est uterq; uia Labicana, millario ab urbe quinto. Sunt quibus placeat etiam Iulianū illum Christianæ religionis desertorem, Romanum principem, ex hac familia nonnullam originem ducere. quod nobis non satis constat. Ille enim ex Constantio Constantini Magni fratre germano est natus, pro sapia paterna Dardaneæ originis, matre Basulina nobilissima, per quam si forte Iulianorum domum contingebat, satis imperij nomine et scriptis testatam sui memoriam reliquit.

L. VOLVSIUS METIANVS.

Antoninus Pius, et (ut Politianus addit) Hadrianus etiam hoc quoque iurisperito sunt usi. M. uero Antonius philosophus, cum iuuenis adhuc iuri operam daret, eundem hunc magistrū habuit. Quod haud mediocri laudis loco equidem posuerim, cum ille uere diuini princeps tantopere uel studia coleret, quibus meliorē fieri uitam negari nō potest. et magistrus honoraret. Solebat enim ille imagines præceptorum aureas in larario habere, et mortuorū sepulchra, adhibitis hostijs et floribus semper ornare. Traditur à Lampridio Metianus etiam discipulus fuisse Papiniani, et Alexandri Imperatoris familiaris, et in consilio socius, ut ratione temporū ad ducar, ne eundem Metianum putem. Fuerunt alterutrius aut utriusque opera hæc, Fidei commissorum libri sexdecim, publicorum quatuordecim: addit Riuallius Quæstionem singularem.

MAR-

VT similia nomina, quæ saepe mutuo uitiuntur, coniungamus, fuit per eadem sanè aut paulo inferiora tempora. Aelius Martianus autor iuris non inceleber. Eum Didius Iulianus Imperator iusserat occidi, sed elapsus discrimini, postea in consilio Alexandri fuit. Libri eius hi ferebantur: Institutorum sexdecim, Regularum quinq;, de Appellationibus duo, totidem Publicorum, Singulares tres, de Delatoribus, Hypothecariæ, ad Senatusconsultū Turpilianum. Sanè eadem hic quoque quæ et in Metiano, ambiguitas, Martianū enim Lampridius inter discipulos Papiniani, familiaresq; socios et consiliarios Alexandri principis numerat, ad quem sunt ab Hadriano anni amplius centum, à Iuliano fermè quinquaginta. Sed tamen non habeo autorem ueterem de intentata ei à Iuliano cæde, et pugna est nō inter Capitolinū et Lampridiū, sed inter hunc et Politianum: quiq; eius autoritatem secuti sunt. Mauricianum præterea quendam numerat Riuallius, cuius fuerint ad Leges libri sex.

SERBIDIUS SCAEVOLA.

MAntoninus quem sapientiæ studiū Philosophi cognomine honestauit, hoc præcipue iurisperito et sciendis legibus, et in consilio Imperator est usus, et ante imperium, ut nonnulli tradunt, etiam præceptore. Docuit præterea Serbidius Septimium Seuerum Afrum, qui post Iulianum gloriosissimè imperauit, et Papinianū etiam. Solebat dicere, ius ciuile uigilantibus esse scriptum. Reliqui libras Quæstionum uiginti, Digestorum XL. Responsorum sex, Regularum quatuor, de Quæstione familie unum, alium Quæstionum publice tractatarum. In responsis eam semper cautionem adhibuit, ut us ad facti conditionem qualitatemq; accommodaret. Itaque semper illa clausula utitur, secundum ea, quæ proponerentur.

AEMILIVS PAPINIANVS.

Iuris ciuilis cognitionem Papinianus, Hostilio Papiniano atque Eugenia Gracili natus, à Scæuola didicit. Procuracionem suscepit post Septimium Seuerum exercuit, cui quod uel ex condiscipulatu, uel affinitate per secundam uxorem (nam id quoq; traditur) uel con-

X 3 suetudinis

Politian et
Cotta error

suetudinis gratia, amicissimus erat. Vbi ille rerū potius est Papinia-
num praefectum praetorio constituit, non, ut ait Politianus et Cot-
ta, urbis. Quo in magistratu Paulum atq; Vlpianum discipulos suos
asseffores habuit. Idem princeps ei mortuos filios suos commendauit.
quorum alter Antoninus Bassianus Caracalla a patre posthabitus,
ad imperium tamen fauore exercitus cum peruenisset, Getamq; de
medio tollere in animo haberet, & de insidijs eius apud praetorianos
militēs in castris questus esset, Papinianus, etiam tum praetorii
praefecturam obtinens, fratrum concordiam quam potuit maxime
fouit, egiq; ne Geta occideretur. Qua de re, caeso iam fratre, in-
fensus ei Caracalla, tamesi eum cum ceteris concordiae autoribus
perdere destinaisset, ei tamen inuitens, a Capitolio in palatium rediit.
Nec multo post alijs compluribus sublatis, qui fautores fuerant Ge-
tae, a militibus, non solum permittente, uerum etiam suadente Cara-
calla, occisus traditur. Sunt qui in conspectu eius securi percussum,
& a militibus confossum scribant, ideoq; carnifici dixisse princi-
pem, gladio te exequi oportuit iussum meum. Causa mortis, ut can-
que aut pretextus certe atque occasio, amor Papiniani non tam in
fratrem, quam in concordiam utriusq; fuit: proditum tamen uarie
memoriae est. Multi dixerunt Caracallam, occiso fratre mandasse
Papiniano, ut & in Senatu per se et apud populum facinus dilueret:
illum respondisse, Non tam facile parricidium excusari posse quam
feri. Alij rogatum ferunt a principe, ut orationem, qua inueheretur
in fratrem, sibi diceret, recusasse, ac dixisse: aliud est parricidium,
accusare innocentem occisum. Quam causam tamesi quidam im-
probaent, cur non conueniat, haud equidem uideo: in iuri sperito pra-
fertim, qui non minorem dicendis, quam armorum facultatem habe-
ret. Illud constat, diuinam ab eo in morte editam uocem. Nam, cum
raptus a militibus ad palatium traheretur occidendus, dixit: stultis-
simum fore, qui sibi succederet, praefectum, nisi uiolatam crudeli-
ter praefecturam uindicaret, quod et factum est. Nam successore Pa-
piniani Optilius Macrinus, & ipse a iuris studio non abhorrens, oc-
ciso Caracalla, ex praefecto praetorii imperium inuasit. Cuius Ma-
crini

B. D. C. C. C. C.

erini uitam, quod multis imperij nomine conscripta est, non confi-
ciemus: sicut ne Traiani quidem aut Iuliani, aut deniq; ceterorum
imperatorum consecimus. Hunc finem immeritisimo habuit ur fan-
titate morum, scientia ac rebus gestis inclutus. qui iuris Aflum,
qui doctrinae legum thesaurus fuerat, ex cuius ludo, tanquam ex
equo Troiano, innumerabiles ciuili scientia proceres exierant. At
que ideo habuit, quod parricidij excusare noluerat, ne homini per
se et sua conscientia magno, dignitas saltem deesset. Verum enim ue-
ro longe tum is ea de morte felicior, quam ille de imperio, qui se foe-
licissimum omnium existimabat. Neq; tamen tanto scelere satiari ra-
bies tyrannica potuit, sed innocentissimi filij caedem patris sanguini
addidit. Qui quum triduo ante quae stor opulentū munus edidisset,
interemptus est: & paucis diebus innumeri, qui Getae partibus faue-
bant, ita quantum in illa fuit peste atq; immanissima bellua, semina-
rium omne iuris interciderat, nisi complures, atque omnes quos in-
fra subnectam, haustam e Papiniani fontibus disciplinam (unde ipsi
Papiniani & sunt dicti) conseruassent: & uolumina eius, quae haec
fuerunt, libri Responsorū XIX. Quaestionū XXXVII. Definitio-
nū duo, de Adulterio unus, Ad Edictū aediliū curulū unus, Digesto-
rum XIX. Fertur hominis epitaphiū duplex. Nā Socinus filius scri-
bit, etate sua, ut ex patre audivit, urnā argenteam a quodā rustico
Romae inuentā, ossaq; inde in Tiberim pietā, ubi hic titulus fuerit:
Aemilij Papiniani iureconsulti et praefecti praetorio reque scunt
hic ossa, cui infelix pater & mater sacrum fecerunt, mortuo amo
suae etatis XXXVIII. Alterum ex marmoribus, quod
ego diu quaesuum Romae non comperi, tale fuit.

D. M.

Aemilio Paulo Papiniano praefecto praetor. iurisconsulto qui uixit
annis XXXVI. diebus X. M. IIII. Papinianus Hostilius Eugenia
30 Gracilis turbato ordine in senio heu parentes fecerunt filio opt.

FABIUS SABINVS.

P. Atrium Fabij Sabini Sabinum constat insignem iurum et con-
sularem fuisse. Qui cum Senatus, in B. Heliogabali, caedem
com-

consobrini sui Alexandri, qui post eum imperauit, agitatais, urbe excessisset: ipse quod remanserat, uocato per principem centurione, mollioribus uerbis occidi est iussus. Cæterum surdaster centurio, ut urbe Sabinus pelleretur, mandari sibi ratus, hominem eiecit, idq; uitium saluti Sabino fuit. Ad eum sunt scripti libri, ab Vlpiano, Paulo, Pomponio, qui ad Sabinum feruntur. Filius Fabius Sabinus intimus Alexandro & consiliarius, Cato sui temporis est dictus. De illo Politianus et Cotta dubitant, uter (nam alterutrum constat) Papiniano operam dederit, & libros scripserit iuris ciuilibus tres, Epistolarum octo, ex Proculo singulare: quibus addit Riuallius Responsorum tres, ad Vitellium XXX. Digestorum ad Edictum prætoris Urbani quinque. hæc q; filio attribuit. Illud præterit, in quo idem illi ambigunt, uter fuerit, qui consularis et præfectus urbi, sub Maximino fuisse percussus in populo atq; occisus, & in publico relictus sit. Id Zasius patri, iuris scientiam filio concedit.

DOMITIUS VLPPIANVS.

Insigenis etiam famam inter iuriconsultos & uiuens et post fata obinuit, Pheniciae urbe Tyro, ut ipse fatetur, oriundus. Id primum Papiniani disciplina eruditus, eidem prætorij præfecto assedit, atq; in consilio fuit. Morèq; iam inde à M. & Commodopescennij Nigri motum tradito atq; obseruato, cum sacrorum scripturiorum Alexandri principis magister et consiliarius assessorq; fuisset, ac ad libellos apparuisset, statim præfectus prætorio & ipse est factus. Alij ab Helio Gabalo delatum ei hunc honorem scribunt. Vt cunq; (Helio Gabali imperio dicam an tyrannide?) ut uir bonus & republica remotus est, cum illa impura belua cædibus, exilijs, libidine cuncta repletet, uixq; uitam retinuit. Cæterum cum diutius ferre ciuitas tantam nequitiam non potuisset, trucidato turpissime, atq; in Tiberim proiecto Helio Gabalo, felicius Alexander rempublicam accipit, prudentius administrauit. Cumq; inter cætera, quæ illi diuinitus egregia contingere, nullam causam tractaret, nisi iuris doctis adhibitis, negotiaq; et causas prius à scriuitorum principibus et doctissimis iuris peritis & sibi fidelibus tractari ordinariq; atq; ita referri

ad

ad se præcepisset, leges ad hæc multas de iure populi & sibi moderatas sanciret, neq; ullam constitutionem sacraret sine uiginti iuris peritis & doctissimis ac sapientibus uiris, ijsq; discretissimis non minus quinquaginta, ut non pauciores in consilio essent sententiæ, quam quot S. C. conficerent. & id quidem ita, ut iretur per sententias singulorum, ac scriberetur, quid quisq; dixisset: dato tamen spacio ad disquirendum cogitandumq; prius, quam dicerent, ne impræmeditati uerba facere cogerentur de rebus ingentibus. In hoc egregio opere principem habuit Vlpianum, & in toto imperio ita honorauit, ut familiaris ac socius principis diceretur. Cuius amplitudinis culmen nonnulli à consulatu Anniani & Maximi ordiuntur, qui fuit quartus imperij Alexandri. Idem principem, cum in animo haberet omnibus officijs genus uestitus primum dare: & omnibus dignitatibus, ut ex uestitu dignoscerentur: & omnibus seruis, ut in populo possent agnosci, ne quis seditiosus esset, simul ne serui ingenuis miscerentur, id Vlpiano Pauloq; displicuit, dicentibus plurimarum rixarum causam fore, si abiecti homines iniurijs exponerentur. Itaq; ijs auctoribus res moderata est. Illud erat summi amoris indicium, quod princeps, cum post epistolas simul omnes amicos soleret admittere, cum omnibus pariter loqui, nec unquam solum quenquam excipere, Vlpianum modo præfectum, et assessores suos, remotis arbitris introduci sinebat. Et si quis cum illis adhibendus esset, Vlpianum semper rogabat, neq; ullum unquam alium, ne ex domesticis quidem, solum in palatio, quam Vlpianum uidit. Cumq; inter suos conuaretur, Vlpianum frequenter accersibat, qui cum literatos aliquos sermones, quibus se recreari dicebat & pasci, habebat. Deniq; cum pro tutore habuisset, primo repugnante Mammea matre, cui princeps tribuebat plurimum: dein gratias agente. Eiusdem saepenumero purpure obiectus, ab ira militum exire defensus est Vlpianus, constititq; ideo summum illum imperatorem extitisse, quod Vlpiani præcipue consilijs rempublicam gubernasset. Merito igitur querenti Constantino Magno, quid fuisset, quamobrem homo alienigena & Syrus & adolescens Alexander in talem euasisset principem, cum Tiberij,

Y Caligula,

Calizula, Claudij, Neronis, Galbae, Othones, Vitellij, Donitiani, Commodi, Iuliani, ante illum principes Italici ac Romani sanguinis, imperatorum nomen dignitatemq; fecissent, rescriptum est & prudentissimo rerum autore Lampridio, id potissimum probitati ac moribus eorum esse accepto ferendum, quos ille princeps in consilio habuerat. Quorum & si primas tenuit Vlpianus, tantae tamen gloriae partem, & qui dicuntur ceteri iuris prudentes sibi, ac sodalium uendicant. Vtinaq; nostris principibus liberet interdum ad haec animum intendere, ut quos ratio ac religionis quam profitentur autoritas non mouet, exempla saltem prophatorum hominum excitarent. Verum illud integritati Vlpiani (ut omnibus aliquid fatogatum est) defuit, quod Christi pietatem, a qua non ualde princeps eius abhorrebat, (siquidem Christum in larario atq; Abraham coluit) est infestatus. Na libro v. de Officio procos. rescripta principum contra Christianos collegit, ut doceret, quibus poenis affici oporteret eos, qui se cultores ueri Dei confiterentur. Sed id nimirum uitio temporum Vlpiano contigit. Inuenio apud quosdam Vlpiani basilicam Romae nominari. Ei tantum a Modestino alijsq; tributum est, ut uertex legum nobilissimus atque egregius diceretur. Reliqui ingentem numerum librorum, quibus potissimum referta sunt Iustiniani digesta, decem libros Pro tribunali, totidem de Officio procos. ad Edictum LXXXIII. XX ad Leges, septem Regularum, Fidei commissorum sex, de Adulterijs quinq;, de Appellationibus quatuor, ad Sabinum lib. Opinionum sex, de Officio Cos. tres, Responsorum duos, sex de Censibus, Institutorum duos, septem Singulares, de Sponsalibus, de Officio praefecti uigili, de Praetoris tutelaris, de quaestoris, Regularum rursus, de Officio praefecti urbi, de Curatoris reipublicae & publicarum disceptationum.

IVLIVS PAVLVS.

Idem Papiniano, quem praecceptorem iuris habuerat, Paulus Patauinus, cuius statum hodieq; patria colit, assessor atq; in consilio fuit, ac dein principis a memoria. Perq; hos gradus ad praetorian & consularium, denumq; ad praetorij praefecturam, summum

tunc a principe locum, peruenit eadem familiaritate, societateq; ac grauitate atque honore & consilij munere, quibus Vlpianus apud Alexandrum floruit. Nec minus de hoc, ab utro praefecturam accepit, Helio Gabalo ne an Alexandro, ambigitur. Eandem constitutionem de uario hominum uestitu improbant. Denique post Vlpianum, nemo plus apud optimum principem Alexandrum ualuit. Ut appareat, quantum uel boni aulici ac ciues principibus, uel boni principes scientijs ac moribus prouehendis, reipublicae conferant. Itaque Paulus Vlpiano honore ac doctrina par, numero scriptorum etiam superior fuit. Tres enim et uiginti Responsorum libros conscripsit, Questionum sex, supra uiginti, ad Edictum octoginta, tris et uiginti Breuium, ad Plautium duodeuiginti, ad Sabinum sexdecim, decem ad Leges, Regularum septem, Sententiarum uel Factorum sex, Sententiarum rursus quinq;, ad Vitellium quatuor, ad Neratium quatuor, Fidei commissorum tres, de Adulterijs tres, Decretorum tres, Manu alium tres, de Iure fisci duos, ad legem Iuliam duos, Institutorum duos, de Iure fisci duos, ad legem Aeliam Sentiam tres. Libros praeterea singulares reliquit, Regularum rursus, Regularum tertio, de Officio praefecti uigilum, de Penes paganorum, de Officio praefecti urbi, de Penes militum, de Visuris, de Iure codicillorum, de Officio praetoris tutelaris, de Penes omnium legum, de Gradibus et affinitibus, de Excusationibus tutelarium, ad S. C. Orificianum. ad S. C. Tertullianum, ad S. C. Velleianum, ad S. C. Libonianum seu Claudianum, ad S. C. Syllanianum, ad regulam Catonianam, de Extra ordinarijs criminibus, de Hypothecaria, ad Municipalem, de Publicis iudicijs, ad Oratorem diui Seueri, de Inofficioso testamento, de Secundis tabulis, ad Oratorem diui Marci, de Tacito fidei commisso, de Septemuiralibus iudicijs, de Iuris & facti ignorantia, de Iure singulari, ad legem Falcidiam, ad legem Velleiam, ad legem Cinciam, de Portionibus, quae liberis damnatorum conceduntur: de Adulterijs, de Iure libellorum, de Iure patronatus, de Testamentis, de Instrueto & instrumeto, de Appellationibus de Iure patronatus, quod ex lege Iulia & Papia uenit: de Actionibus, de Intercessionibus femina-

rum, de Cōcurrentibus actionibus, de Legibus, de Libertatibus dan-
dis, de Donationibus inter virum & uxore, de Legitimis hereditati-
bus, et de S. C. librum etiam singularē, de Varijs actionibus, et octo
Digestorum. Extant hodie libri quinque Receptarum sententiarum
ad filium, ex tam multis.

POMPONIVS.

F Elicus illo imperio Alexandri floruit & Pomponius, vir legum
peritissimus, doctrina Papiniani imbutus, familiaris ac penē
socius consiliariusq; principis. Is discendi studium unam optimam vi-
uendi rationem existimabat, eamq; in octauum & septuagesimum
etatis annum perduxit. Quamobrem multa eius fuere uolumina. Il-
lud extat eius singulare in hac disciplina beneficiū, quod omnes
ad Lulianum usq; peritos iuris diligenter collegit, qui labor nostrum
hoc opus plurimum adiunxit. Scripsit libros omnino quorum sit habi-
ta ratio in conscriendis Digestis, quorum nunc iure uiuunt, ad Q.
Mutium lectionum XXXIX. ad Sabinum XXXV. Epistolarum
XX. Variarum lectionum XV. ad Plautium VII. Fidei commissio-
rum quinque, Senatusconsultorum totidem, Enchiridij duos, Regu-
larum unum. Is adungit Riuallius ad Aedem octoginta, ad Edictum
LXXXIII. Digestorum XL. de Stipulationibus XVII. Genis
Pomponia nō in postremis clara, unū habuit in libera ciuitate Cos.
sed bis, M. Pomponium Mathonem, anno V. C. DXX. & biennio
interiecto iterum, & XIII post magistrum equitum & prætorē
eodem prætonine: itidemq; in sequenti anno, ac multis postea, unū
Cos. in serua reperio L. Pomponium Elaccum, principatu Tiberij.

HERENNIVS MODESTINVS.

E Isdem honoribus, ætate, magistro, Modestinus est usus. Ac-
cessit honos ex discipulo imperatore, Maximino filio, & ex
consulatu, quem gessit principatu Alexandri. Versus etiam factita-
uit, quorum extant in Virgilij libros argumenta falso quondam tri-
bita Ouidio. Sed operibus legum longe clarior, scripsit libros Re-
sponsoium XIX. Pandectarū XII. Regularum decem, Differen-
tiarum nouem, de Pœnis quatuor, Singulares nouem, de Prescripti-
onibus,

onibus, de Inofficioso testamento, de Manumissionibus, de Legatis
& Fideicommissis, de Testamentis, de Eueromaticis, de Eucleatis ca-
sibus, de Differentia dotis, de Ritibus nuptiarum. Excusationum præ-
terea sex libros dicitur reliquisse, quod nescias an idem sit opus cū
eo quod de Excusatione tutelæ & curæ fertur de Græco uerisse
n Latinum, ipsis legum uerbis interdum positus, si qua incurrisset
parum apta latinitati. Quod tamen Politianus negat, et inepto dli-
cui ascribere eam interpretationem mauult. Certe Tribonianus in-
de magnam partem tituli de Excusatione tutorum in sua Digesta
transcripsit.

ALIQVOT ACERVATIM.

R Eliqui sunt ex his, qui instructi à Papiniano, Alexandri tem-
pora & imperium illustraue, partimq; etiam Seueri et An-
tonini, aut paulo superiora: de quibus nihil penē præter libros ha-
beo dicere, Tarruntius Paternus scripsit libros Militarium 1111. Ma-
cer Militarium publicorum, de Officio præsidis. Causton de Appella-
tionibus binos. Terentius Clemenēs ad Leges XX. Menander Milita-
rium quatuor, Archadius unum de Testibus. Ruffinus Regularum
XII. Papirius Fronto quatuor Responsoium, Anthius, uel Publius
Furius Anthianus partis edicti quinque. Maximus ad legem Falci-
diam. Hermogenianus Epitomatū sex. Africanus Questionum IXX.
Florentinus Institutioium XII. Tryphonianus Disputationum XXI.
Iustus Constitutionum XX. Calistratus de Cognitionibus VI. de
Iure fisci III. Institutioium tres, Questionum III. Edictioium moni-
torioium sex. Venuleius Stipulationioium XIX. Actioium X. unum
de Pœnis paganorum, III Publicorum, de Interdictis VI. quatuor de
Officio procos. Celsus charissimus Alexandro, XXXIII ad Sabinū
Digestoium libros, Questionoium XXI. Fuere præterea per Alexandri
tempora, quorum nomina operum nulla extant: Hermogenes, Al-
phenus iunior, Metianus iunior, Proculus, & Iulius Frontinus,
cuius forte est opusculum de Limitibus: non eius qui uixit per Traia-
ni tempora. In certæ ætatis Saturninus, X libros ad Edictū re-
liquit. Suphis Questionioium duos. Hadrianus de Interdictis totidē.

Puteolanus affessorum aliquot. Verrium etiam Flaccum Festus, Me-
crobius, Diomedes, ut Iurisperitum non semel laudant.

TRIBONIANVS, ET SOCIJ.

Constantini, qui primus Romani imperij sedem, deteriore
euentu quam consilio mutauit, factio contigit, ut transma-
rini etiam periti iuris censiendi sint. Quos inter Tribonianus primas
facile tenet, ut cuius monitu & opera Iustinianus, dispersum antea
in finibus uoluminibus civile ius, & crebris opinionum diffensionibus,
quasi intestinis bellis fluctuans, in hanc, quae post M. annos ad
huc durat, breuitatem concordantq; contraxerit, id quod tanto an-
te C. ipsi Caesari dictatori in animo fuerat. Is igitur Tribonianus
Macedoniani F. genere Pamphilus fuit, inter fori principes, Cos.
Iustiniano magister officiorum, assessor, & quaestor, quod munus
tum apud Constantinopoli Imperatorem soleme erat. Euenit septimo
principatus anno, ut Veneti Praesintiq;, seditiosa factionum nomi-
na, ita conspirarent, ut fugato imperatore ac Senatu, urbe magna
ex parte inflammata, aedes multas publicaq; opera incenderint.
Quem tumultum ut sedaret imperator, Tribonianum & Ioannem
praetorio praefectos in scariorum gratiam magistratu mouit. Id
enim magnis uocibus, propter exercitiam in se antea quietis rebus se-
ueritatem, ab armata plebe undique flagitabatur. probra in utrunq;
tota urbe iactabantur, ipsiq; ad necem diu frustra quaesiti erant.
Triboniano Basilides successor datus, uir mansuetudine ac aequitate
inter Patricios clarus. postea tamen Tribonianus in suum locum re-
dijt: quo perfunctus, multos post annos morbo decefit. Vir fuit in-
genio miti atque humano, ut nihil unquam praeterea a quoquam in-
gratum sit passus. Quibus moribus & singulari omnium artium do-
ctrina unum auaritia crimen facile obscurabat: cum tamen non ni-
si iustum sectaretur lucrum, legesq; assidue aliquas ex usu aut anti-
quaret aut conderet. Quod qui omnino arguunt, nae illi instabilem
rerum humanarum conditionem parum intelligunt. Haec de Tribonia-
no Procopius, historicus haud paulo melior quam Suidas nescio
quis. A quo traditur Tribonianus auaritia morbo misere laborasse,
ut

ut ius ipsum precio quasi promercale habuerit, ac leges ad utriusque
partis usum nunc tulerit, nunc abrogarit, & quasi quaestuiarias pro-
stituerit, nullum putasse esse Deum, penitusq; a religione abhorru-
isse: adulatorem atque impostorem fuisse, ut qui Iustiniano per sua-
serit, non moriturum eum, sed cum ipso corpore in caelos iri sublatum.
Sed haec quis credat incerto auctori: cum contra stet scriptor gra-
uis eorum temporum Procopius, nec Iustiniani optimi, & (uel Suidae
ipsius testimonio) religiosissimi principis prudentia & pietas passura
fuisse, ne dum altura et prouectura, eiusmodi monstrum uideatur.

Fuit eo dem tempore Tribonianus alter, ex Sida Pamphiliae urbe,
primarius & ipse causidicus, uir multae eruditionis & multorum
operum, quae ponit Suidas, nihil ad ius atinentia. Theophilus quo-
que, Dorotheus, Isidorus, Cratinus, Talleleus, Theodorus, Anato-
lius, uiri illustres & peritiss. iuris, adhibiti a Iustiniano
ad purgandas seligendasq;, quibus utimur, leges,
insigne ab eo testimonium doctrinae
ac fidei meruerunt.

VITARVM IURECONSULTORVM
ueterum per Bernardinum Rutilium
FINIS.

BERNARDINI RVTILII CO-
LONIENSIS AD MAGNIFICENTISS.
uirum Mapheum Leonum patritium
Venetum, in suam Decuriam

P R A E F A T I O.




libellum, cui Decuriæ titulū fecimus, exemplo scilicet eorum, qui ex capitū numero Centurias lucubrations suas inscribere, tibi iure optimo dicaui-
mus, Vir amplissime, nam, cum tu in-
ter patronos meos, eosq̄ quibus mea salus chara esse uidetur, primū facile locum teneas, quis erat, sub cuius potius nomine, quā tuo, laborum nostrorū ac studiorum primitias edere, in que lucem emittere deberemus? neq̄ est, quod tu operis humilitatem, ac scribendi genus, ut tenue, fortē contemnas. Eiusdem generis multa sunt, nostra, patrum, auorumq̄ memoria ab eruditiss uiris, qualem me & haberi & esse cupio, non primatibus modō, sed & principibus, summisq̄ etiam pontificibus dicata. Ego certe, quū tibi plurimum debere me scirem, idq̄ non obscura animi significatione notum plurimis esse cuperem, haud aliud ferme maius habui, quo te non tam pro meritis tuis, quā pro meis uiribus remunerari posse existimare. Cum te praesertim ea benignitate atq̄ elegantia esse praeditum intelligerem, ut nullum ferme hominum genus magis, quā eos qui doctrinae aliquo nomine censerentur, fouere, amplexari, atq̄ in sinu gerere, ut ille inquit, soleres: nihilq̄ tam charum gratumq̄ existimare, quā literaria ista munuscula in te ab amicis collata. Quare habe tibi, quic quid

quid est libelli: Habeant per te studiosi omnes, quibus (ni fallimur) ut exiguam, ita non omnino aut in iucundam aut inutilem operam nauasse iudicabimur: si qui modō nō fastidire prius, quā legant, in animum induxerint. Me certe nihil tam deterere à iuuandis studijs, si quid modō in ea re possumus, quiuerit, quā si (ut est apud Salustium) nihil aliud quā fatigando odium me quaerere intelligam: nihilq̄ magis incendere eō, quā gratā doctorū animi significationes, sinceratq̄ ac sine adulationis fructo libere de me meisq̄ sententia. Nam & ea aetate et animo sum, ut ex alijs discere non illibentius, quā docere alios possim. nec me ambitio ulla ad haec studia, quae sanē nec cum magna gloria, ut plerisq̄ uidetur, nec cum modico labore mihi quidem tractantur, sed iuuandi sola cupiditas rapit, cum meo etiam maximo et rei familiaris, et existimationis, ut ab amicis existimatur, dispendio. quorum tamen ego nec opinionem probo, & orationes sino praeterfluere,
modo in bonam accipi partem, bonisq̄ consuli
qualescumque labores nostros uideam.

Vale, ad IIII Cal. Iunias.

M. D. XXVIII.

Z



BERNARDINI RUTILII DECURIA.

ADDITVM IN CAELII EPISTOLAM,
quam pridē Egnatius emaculauerat. Cap. I.



Nobis illius Tullij Ciceronis, nunquam satis uel doctrina ac scientiae genere, uel uitae moribus laudati, Epistolari uolumine, quaedam habentur aequalium quoque eius ad ipsum literae, tam simili per scriptae stylo, ut merito uideamur in illis uiris dicendi puritatem atque candorem nostri homines antiquitatis studiosi mirati sint. Has, ut cetera praefatae illius aetatis literarum monumenta, quae ad nos qualiacumque peruenere, corruptas, mendosae, ac laceras, castigare multi, atque ad pristinam illam integritatem redigere sunt adorti: quaedam nonnulli feliciter attigere, sed (ut uere dicam) codex is magno adhuc in damno est. Nobis indecorum ac turpe usum, quomodo Cicero nem ipsum tan singulari memoria prosequeremur, ut uel unum eum uel cum paucis ex illa uetustate cum doctissimum, tum optimum uirum iudicarem. Si non, quam et tanti uiri dignitas, et meus erga uirum manuum memoriam amor posceret, at eam, quantumcumque liceret, scriptis eius opem non asserre, inter tot praesertim operum eius amatores, castigatores, lectoresque, etiam. Amatorem ille quidem plurimum ad me, dicamque etiam (ut arbitror) citra iactantiae culpam, nemo unquam ad eius uiri libros emendandos tantum animi ac cupiditatis attulit: ut quamplurimos esse fatear, qui in eo uiuando plus multo temporis laboris atque olei impenderint, plus etiam profuerint, quam ego non modo praestare, sed uel optare possum uel sperare. Tantum polliceor me pro uirili, nunquam singularis uiri dignitati defuturum. Est igitur libro, ni fallor, nono in Caelij Epistolae, cuiusdam initium, ut putatur, in haec uerba:

Quod Marcus Marcellus Consul N. F. de provincijs consularibus. Vir doctissimus, et multae lectionis, Egnatius Venetus, quibusdam

busdam huius Epistolae notis, quae statim subiunguntur, lucem dedit. has uero duas ita est interpretatus, Nonis Februarijs. Nos uero, et quod huius clausulae structuram imperfectam uidebamus, sic legeretur, et quia senatus consultorum ueterum Romanorum quale hoc est cum superiori Epistola missum a Caelio ad Ciceronem, aliam fuisse formulam lectione praeceptorum auctorum didicimus, confestim adducti sumus in eam sententiam, ut corrupta nota prior uideretur. atque pro N. reponendam consonantem V. quae, Verba significet. Cui consequens fuit, ut et posterioris alium sensum diceremus: uide licet, Fecit. ut sit totum, Verba fecit. neque. n. aliter Cicero locutus est Philippica decima: Quod Pansa consul uerba fecit de literis, quae a C. Cepione Bruto proconsulatae, et huic ordini recitatae sunt, de eare ita censeo. Item octaua: Quod Lucius Opimius consul uerba fecit de Republica, de eare ita censuerit, ut Opimius consul Rempublicam defenderet. Senatus haec uerbis, Opimius armis. Item tertia: Quod Tribuni plebis uerba fecerunt, ut senatus caelendis Ianuarijs tuto haberi, sententiaque de summa Republica liberè dici possint, de eare ita censeo. Sed et Ulpianus iuris consultus, ubi de Velleiano senatus consulto agit, in Iustinianis pandectis: Cuius, inquit, senatus consulti uerba haec sunt. Quod Marcus Syllanus et Velleius Tutor consules uerba fecerunt de obligationibus sceminarum, quae pro alijs reae sunt, quid de eare fieri oporteret, de eare ita consuluerunt. Tranquillus quoque de claris Rhetoribus: Famio (inquit) Strabone, et M. Messala consulibus, M. Pomponius praetor senatus consuluit, quod uerba facta sunt de Philosophis et Rhetoribus. senatores consulti de eare ita censuerunt, ut M. Pomponius praetor animaduerteret, curaretque, ut si ei de Republica fideque, sua uideretur, uti Romae ne essent. Post fortassis et alijs rebus comprobari sententia: sed haec abunde satis uisa sunt. Accessit uero coniecturae huic nostrae, iam pridem imitae, exemplaris quoque cuiusdam manuscripti fides, non illius quidem in plerisque ualde integri, sed cuius tamen scriptionem extrema pagella cuidam tribueret Iudae magistro. alia autem ante eam erat, quae Franciscum Petrarcam praeferebat

rebat autorem. Ut illud uerum fiat, quod Politiano placuisse uideo de fonte ac capite, unde hi qui extant Ciceroniani codices effluxerint, & deriuati sint. Erat igitur in eo exemplari V litera, non N: ut iam dubij nihil super sit candido Lectori, cuius quidem officium praestitisse non uideatur hac parte Egnatius (pace eius dixerim.) Profecto enim, quemadmodum in codicibus Mediolanensibus duas haesce literas merito expunctas reprehendit: ita par erat, ut se quoque illas posteriores notas eorumdem codicum beneficio intellexisse, non dissimularet. Id satis mirari nequeo, obseruationem hanc a Probo Petroq; Diacono in notis praeteritam, haesceq; duas literas non alia, quam Vsus fructus, uel uiuens fecit, significatione donatas: cum essent in senatusconsultis frequentissimae. Sed (ut est apud elegantissimum poetam) nimirum idem omnes fallimur, neque est quisquam, quem non in aliqua re uidere Suffennum possis. Nos praeter haec addeamus ex eadem Epistola quaedam non omnino spernenda:

77 Neque quid prius (inquit) ex calendis Martijs ad senatum referrent, neq; quid coniumctum.) Lego utrobique, Ne ue quid: ex forma antiquarum legum, senatusq; consultum. quae lectio in scriptis quibusdam extat exemplaribus. Sane tum (inquit) uterque consul faceret. in alijs aliter, nusquam recte. Ego sola coniectura ductus, legendum ita contenderim: Senatusq; consultum facerent. Quod hi (inquit) non tulissent, utique, quicumq; deinceps essent, ad populum plebem ue ne ferrent. Scribo, non Vtiq;, sed Vti quicumq; deinceps, & reliqua, ut ante. Subijciemus nunc notas tris, inq; eas sententiam nostram non celabimus: S.A.D.) Corruptas notas arbitramur, uel illam tertiam ex abundantia additam. prima autem Senatorum significatione poterit: altera, Autoritates: ut sit, Senatorum auctoritates: uel, Senatores auctores: uel, Scripti auctores: uel, Scriptae auctoritates. Tertiam illam plane ignoramus. Caelij certe non sunt uerba haec, sed exemplum est senatusconsulti haecenus recitati, inde scilicet, Quod Marcus Marcellus, quod ubi scriptum totum est, qui eius auctores fuerint, subijcit, quod scilicet initio promiserat: Senatusconsultum, inquit, quod tibi misi, factum est, auctoritatesq; per scriptae, statim

Statim aut post uerba haec, exiguo interposito spacio, quasi tituli uice S. C. scribendum fuerit, ut significaretur Senatusconsultum subijci, quod mitteretur. uel, si hoc placet, addatur eo loco duabus his notis & tertia A, ut Auctores ostendat. Caetera uero quae sequuntur, pridae calendis Octobris, & reliqua, male ibi posita sunt, quum post Senatusconsulti uerba supponenda fuerint. quod & factum est, ut iam temere repetita uideantur: sicut & id quoq;, quod quasi Caelij duae epistolae separatae sunt. Siue igitur haec, siue illorum senatorum nomina retinere libet (nam & prioris illius senatusconsulti auctoritates ante ipsius senatusconsulti uerba scriptae sunt, ut haec quoque residere hoc loco perbelle possint, posterioribus scilicet illis abolitis) altera delenda censemus, in quibus tantum alterutris haud modice peccatum est. Atque, ut aliam nunc praeteream, quod scribitur, Lucius Atteius Lucij filius Ancapito.) Cum Ancapitones nusquam legerimus, Capitoes sepe, potuit ita notis esse scriptum in hanc sententiam: Lucius Atteius, Lucij filius, Atteij nepos, Capito. Sane, quod relatis auctoritatibus alterutrus senatusconsulti subijcitur, alterum senatusconsultum est, cuius initium: Quod Marcus Marcellus ut de prouincijs. in quo pro Vt, scribitur (ut supra quoq;) Verba fecit. erant enim notae duae, V. F. quod cum non intelligerent, nec V scribi posse uiderent, Vt scriptum est. Senatusq; consulto, inquit, fieri posse. Vera lectio, ni fallor, Senatusq; consultum fieri possit. Item illud: P. Ro.) Scribetur integre, Praetorum. Id quoq; non recte: Nam si mihi non dedisset eas, quae ad ludos ei aduectae erant Africanae, potuit superfedere. Lego igitur, potuit superfedere: uel, Potuit superfedere. ex sensu scilicet a dandis muneribus. id. n. est quod supra dixit, Et mihi suo munere negotium imposuit. Aliaq; item Epistola: Turpe tibi erit, Patricium Curioni decem pantheras misisse, te non multis partibus pluris, quas ipsas Curio mihi & alias Aphricanas decem donauit, ne putes illum: & reliqua. Ita factum iam nostra (puto) erit opera, ut Epistola haec, quam antehac non secus multi utarant, quam nautae (ut ille inquit) infames scopulos Acrocerania, commode omnibus legi possit.

posit: nec legi solum, sed etiam exactissime intelligi. Quod autem supra in senatus consultis est, Auctoritatesq; perscriptæ, nominaq; autorum senatus consulti relata: significat id ipsum Cicero libro de Oratore tertio, fieri consueisse, cum de L. Crasso loqueretur. Per multa (inquit) cum uehementissima contentione animi, ingenij, uirium, ab eo dicta esse constabat, sententiamq; eam, quam senatus frequens secutus est, ornatissimis & grauisimis uerbis, ut Po. Romano satisfieret, nunquam senatus consilium Reipublicæ, neque fidem defuisse, ab eo dictam, et eundem (id quod in auctoritatibus prescriptis extat) scribendo affuisse. Quod tantum abest ut Leonicensis ille interpres assequatur, ut nescio quid ex Lino inuenitur ineptissime, dum nihil nescire pudet.

EMENDATVS CICERONIS LOCVS IN
secundo de Officijs ad calcem. Cap. II.

Est eiusdem autoris celeberrimum & longe utilissimum mortaliu uita opus de Officijs, animum pariter corpusq; exorians, si quis modo sequi precepta uelit: quod ego cum lego (lego autem sepius) uideor mihi uidere uiri uitam ante oculos propositam: ita nihil his libris docet, cuius non ipse moribus exemplum præbuerit. ut facile reat, hominem, qui ita uixerit, deq; Deo, ut illo æuo, optime senserit, inter beatorum numerum collocatum, celestis illa felicitate perfrui. Hos libros eius scimus Plinio Secundo ita fuisse commendatos, ut ediscendos, non modo quotidie in manibus habendos diceret, etiam Imperatori. Ad secundi libri finem ita scriptum est: Sed de toto hoc genere, de quaerenda, de collocanda pecunia, etiam de uetanda, commodus à quibusdam optimis uiris ad ianuae medium sedentibus, quam ab ullis philosophis ulla in schola disputatur. Vbi deprauatum lanuæ uerbum, loci totius elegantiam enervat, grauitatemq; Ciceronianam (ut ita dixerim) delumbat. pro eo nos lanam reponimus. De Iano, & medio Iano, Horatius Flaccus:

Postquam omnis res mea lanam
Ad medium fracta est. Iubiq; Porphyrio Acron,

ueteres

ueteres poetæ interpretes. Idem autor alibi:

O ciues, ciues, quaerenda pecunia primum est,
Virtus post numeros, hæc Ianus summus ab imo
Perdocet, hæc re inuenit iuuenes dictata, senesq;
Læuo suspensū loculos, tabularumq; lacerto.

Medium autem lanam Acron in superiorem illum locum ea ratione dictum inuenit, quod tres Iani statue essent, ad quarum unam, id est mediam, conuenire sceneratores solent: & creditores, alij ad reddendum, alij ad locandum fenus. Idem postea duos Ianos ante basilicam Pauli stetitisse ait, quod sceneratores conuenirent, quod & Porphyrio confirmat, alterum scilicet in imo, alterum in summo: ut medium lanam non statuam Iani, quæ media inter duas alias sita fuerit, sed quasi medium uici, qui sit inter duos Ianos, acceperit. De eodem Cicero in Philippica septima: Non possem sine risu dicere, L. Antonio Iano medio. Ita ne Ianus medius in Lucij clientela sit? Quis enim unquam in illo inuenitus est, qui L. Antonio mille nummum ferret expensum? Ouidius: Qui puteal, lanamq; timet, celeresq; calendas. Non ignoro, et Iani templum in foro Romano fuisse, iam inde à Pompilio rege conditum, quod à quibusdam Ianua belli nuncupatum sit, dicente etiam Vergilio: Claudentur belli portæ. Quod tamen haudquaquam uereor, ne tanti apud ullum emunctæ naris studio sum, quibus hæc scribimus, futurum sit, ut aut priorem lectionem seruare, aut nostram emendationem infirmare possit: assentiente præsertim, atq; etiam excitante ad eam Crasso nostro, extra omnem ingenij ac doctrinæ aleam facile posito.

RESTITVTA EIDEM SINCERA LECTIO, Lib. de Oratore primo. Cap. III.

Atingimus nunc in eodem Cicerone locum ex iuris ciuilibus penetrabilibus erutum, cuius nos quoque præsidio conseruati uidemur, ut mederi incurabili alioqui morbo possemus: simul ut autori doctisq; gratificemur, tentemusq;, quantum triennij cura in eo genere profecerimus. Quum essemus sex (ut arbitror) ante annis Patavij, studiorum eorum gratia, oratoriam his temporibus publice

Romulus
Amaseus.

publicè profitebatur Romulus Amaseus, iur (ut mihi tum est ius) apprimè doctus, & Latine facundia plenus: is Ciceronis de Oratore libros interpretari orsus, exquisitissimè in eo opere sensus explicabat. Ego, qui ab urbanioribus studijs auocari omnino nunquam quivi, qui quid suffragari temporis iuri civili dabatur, ad eum virum audiendum totum conferebam: inter legendum huc tandem ventum est, ubi se ille ita explicuit, ut diceret quod usquequaq; ingenuù, ut est, decuit) quum duplicem triplicemq; etiam interpretationem intulisset, nodum esse Iurisconsulto magis quam Rhetore indigentem.

» Verba sunt de Oratore libro primo: Quid in his paucis diebus: non
 » ne nobis in tribunali Q. Pompeij prætoris urbani familiaris nostri
 » sedentibus, homo ex numero disertorum postulabat, ut illi, unde pe-
 » teretur, vetus atque usitata exceptio daretur, cuius pecuniæ dies
 » fuisset: quod petitoris causa comparatum esse, nō intelligebat: ut, si
 » ille inficiator probasset iudici antè petitam esse pecuniam, quam es-
 » set cæpta deberi, petitor rursus quum peteret, exceptione excluderetur, quod ea res in iudicium antea non uenisset. Hæc Ciceronis vulgari codices. quæ si ita legantur, non modo interpretes humaniorum literarum, sed ne iuris quidem ipsi consulti ueteres (quid enim nouos putem?) sensum eliciunt, aut elegantem, aut omnino uerum. Ego igitur ita legendum censeo, particulatim subiectis, quæ mendo
 » sa duxi: Vt illi, unde peteretur, uetus atq; usitata exceptio daretur,
 » cuius pecuniæ dies non fuisset. Quomodo enim dari poterat: aut quæ tandè est exceptio, cuius pecuniæ dies fuisset: Hæc enim sunt uerba ex formula exceptionis. Si enim dies fuisset pecuniæ, scilicet petendæ, actio petitoris nūm suam habuisset, neque ulla exceptione elideretur: neq; ea opus fuisset aut actori, cui nunquam datur exceptio: aut reo. quia cum dies uenisset, uel fuisset pecunia, non poterat excipere, nanque hic agitur de exceptione, qua excludi consueuerat is, qui antè diem egisset: quæ dubio procul non competebat contra eum, qui tum peteret, cum dies uenisset pecuniæ petendæ.
 » Sequitur: Quod petitoris causa comparatum esse non intelligebat. Hic quoque abundat (ni fallor) negatio: aut, si eam retinemus, aliter legendum

legendum est. nempe sic: Quod petitoris causa comparatū esset. non intelligebat, ut si ille inficiator, & reliqua. Tum hæc: Petitor, rursus, quum peteret, exceptione excluderetur. Ita est in meo codice. At recentiores nostri librorum impressores, satis illi quidem eruditi, correxerūt ita: Petitor, rursus quum peteret, ne exceptione excluderetur. Verum hi quidem lapsi sunt. est enim secludenda dictio Ne, alioqui totus corrumpit loci sensus. Hæc uero post: Quod ea res in iudicium antea non uenisset. Corruptum & hoc. quid enim exciperet: rem in iudicium antea non uenisse, quum uenerat: Itaq; legendum est: Quod ea res in iudicium antea uenisset, antea, scilicet quam esset cæpta deberi, quod superius dixerat. Subijciam nunc uerborum omnium iuncturam, totumq; locum ut scribi uelimus: declaraboq; etiam ita, exponamq;, ut non minus ueterani & docti literarum probent quod dixerim, quam tyrones & rudēs adhuc percipiant atq; intelligant. Quid in his paucis diebus: nonne nobis in tribunali Q. Pompeij prætoris urbani familiaris nostri sedentibus, homo ex numero disertorum postulabat, ut illi, unde peteretur, uetus atque usitata exceptio daretur, cuius pecuniæ dies non fuisset: quod petitoris causa comparatum esse intelligebat. ut, si ille inficiator probasset iudici antè petitā pecuniam esse, quam esset cæpta deberi, petitor, rursus quum peteret, exceptione excluderetur, quod ea res in iudicium antè uenisset. Vel ita hæc posteriora: Quod petitoris causa comparatum esset. non intelligebat fieri, ut si ille inficiator: et reliqua, ut proposuimus proximè. ut sit directæ locutio, non per ironiam irridentis, sed miserantis potius, atq; ita sanè locum hunc citat quodam loco Nonius Marcellus. Potest & ita ironiçòs legi, Quod petitoris causa comparatum esse intelligebat, ut si ille inficiator, & reliqua. Possumus & sic: Quod petitor ut causa caderet, comparatum esse non intelligebat. ut si ille inficiator: & reliqua, ut proposuimus, emendanda. Est porro totius huiusce clausulæ sensus is: Creditor debitorem conuenerat, ut sibi solueretur debita pecunia. ea in diem debebatur: quem tum, cum agebatur, negat debitor uenisse. creditoris aduocatus, cuius erat diem

As uenif-

uenisse probare, alioqui quoquo modo poterat, iudicio desistere contende-
 bat, ut aduersario, id est reo daretur exceptio, cuius pecuniæ dies non fuisset, puto, ut transferret in eum probandi onus. quod cum ageret, non intelligebat homo ignarus, id petere, ut ipse causa caderet, si a reo probatum esset, diem nondum uenisse. Sciendum enim est, cum quis ante diem peteret, ex lege duodecim tabularum causa cadere solitum. Verum non tum, cum ageret primo, causa cadebat: sed reus, qui sciret a se ante diem peti, postulat a prætoris exceptionem dilatoriam, cuius pecuniæ dies non fuisset. At rursus, quum uenerat dies petendæ pecuniæ, creditori petenti obieciatur a reo peremptoria exceptio, ex lege duodecim tabularum, quod scilicet plus tempore, id est ante diem petisset. Et rem ante diem in iudicium deduxisset, ideoque pronuciari petebat reus, creditorem causa cecidisse. Itaque bis agebatur. Vtramque actionem duabus exceptionibus, altera dilatoria, quæ rem ad tempus soluendæ pecuniæ differret: altera peremptoria, quæ ius omne creditori adimeret, reus elidebat. Quæ omnia ueteris iuris dogmata, quamuis propè in desuetudinem abierint, apud Iustinianum tamen in Institutionibus ciuilibus sparsim notata extant. ea nos in medium attulissimus, si non fastidio parcendum fuisset. Hanc remur germanam esse Ciceronis scripturam atque sententiam: quæ, quia parum à multis percipiebatur, propter iuris scilicet ciuilis ignorantiam, iccirco sædissimis mendis inquinata est. Nequaquam tamè tantum nobis aut arrogamus, aut placemus, ut nihil præterea dici, quæri, atque excogitari uelimus. quin, si quis est, qui uulgatam lectionem decoro quopiam sensu tueri audeat, eum nos et audiri, et si probet, secuturi etiam sumus. Nam Leonicenus quidem ille eius operis interpret, ineptum nescio quid comminiscitur, nec quod ulla autoritate ratione confirmetur. Inspiciendos aut præcipue ueteres codices monemus, in quibus plurimum argumenti ad hæc situm est. Miror, quid in mentem uenerit Nomo Marcello, inficiatorem hoc loco falsi criminis obiectorem esse dicere: cum significet planè negatorem, qui inficietur uenisse diem soluendæ pecuniæ.

Nonij Marcelli locus.

ILLVST.

ILLVSTRATVS CICERONIANÆ EPISTOLÆ SENSUS. Tum de diuidendis in Senatu sententijs notata quæpiam. Cap. III.

R Vrsus ad familiares Epistolas. quæ tamesi sunt in manibus quoti die multorum, eorumque doctorum hominum, quorumdam etiam, qui se animi gratia ac styli legere profiteantur, quos pudeat in his quicquam parum percipere confiteri: mihi tamen scateremendis, et sentibus ueluti quibusdam esse obstitæ uidentur. Vel hic unus, quem subijciam, locus, cui non planus, lucidus, ac uel usque in uiscera notus? cui suspectus unquam? cui dubius? à quo, ut alij multum hoc opere, astensico signatus est? quum tamen ita, ut est, scriptum non sit, qui ita interpretari possit, ut sententiam non dicam docto homine, sed sobrio dignam eliciat. Epistola secunda ad Lentulum hæc uerba habet uulgo ita scripta distinctaq: Postulatum est, ut Bibuli sententia diuideretur, quatenus de religione dicebat. Cui rei quia iam obijsti non poterat, Bibulo assensum est de tribus legatis. frequentes ierunt in alia omnia. Hæc nos dubio procul perperam distincta contendimus. Ita enim oportuit: Postulatum est, ut Bibuli sententia diuideretur, quatenus de religione dicebat. cui rei quia iam obijsti non poterat, Bibulo assensum est. De tribus legatis frequentes ierunt in alia omnia. Hoc sensu: Quod ad religionem attinebat, ut scilicet rex sine exercitu reduceretur, Bibulo assensum est, de tribus legatis minime. cum enim quasi biceps esset Bibuli sententia, quod scilicet una uerborum conceptione duo proponeret: unum, ut propter religionem et Sibyllina carmina rex sine exercitu in regnum deduceretur: alterum, ut à tribus legatis postulatum est, ut sigillatim de utroque sententiæ capite referretur. Non autem (ut accepisse uidetur Egnatius, quem uirum semper honoris causa nomino) diuideretur, id est separatim à sententijs Hortensij et Volcatij referretur. Quod sit diuidere sententiam, quid iri in alia omnia, quibus uerbis Cicero, Calius, Hirtilius, alij utuntur, quamuis in ea re Gellij Ascensijque autoritas præferatur, ego tamen appositissima Plinij iunioris uerba subnectam, quibus singulare exem-

Aa 2 plum

plum continetur in hoc genere. Referebatur in senatu, inquit, de libertis Afranii Dextri consulis, incertum sua an suorum manu, scelere an obsequio perempti. Hos aliquis: Ego (sed nihil refert) post quaestionem supplicio liberandos, alius in insulam relegandos, alius morte puniendos arbitrabatur, quarum sententiarum tanta diuersitas erat, ut non possent esse nisi singulae. quid enim commune habet occidere & relegare: non hercle magis, quam relegare & ab soluere, quanquam propior est aliquanto sententiae relegantis, quae soluit, quam quae occidit. utraq; enim ex illis vitam relinquit, haec adimit. Cum interim & qui morte puniebant, & qui relegabant, una sedebant, & temporaria simulatione concordiae discordiam dif ferebant: ego postulabam, ut tribus sententiarum constaret suus nume rus, nec fere breuius inducijs duci iungerent. Et infra paulo: Fingamus tris omnino iudices in hanc causam datos esse, horum uni placuisse perire libertos, alteri relegari, tertio absolui, utrum ne sententiae duae collatis uiribus nouissimum perirent, an separatim unaquaq; tantundem quantum altera ualebit: nec magis poterit cum se cunda prima connecti, quam secunda cum tertia. Igitur in senatu quoque numerari tanquam contrariae debent, quae tanquam diuersae dicuntur. Quod si unam atque idem & perdendos censeret & re legandos, num ex sententia unius & perire possent & relegari? num denique una omnino sententia, quae tam diuersa coniungeret? quemadmodum igitur, quum alter puniendos, alter censeret relegan dos, uideri potest una sententia, quae dicitur a duobus, quae non uideretur una, si ab uno diceretur: Quid lex non aperte docet, diuidi debere sententias occidentis & relegantis? cum uia discessionem fieri iubet. Qui haec sententis, in hanc partem: qui alia omnia, in illam partem ire, quae sententis. Et paulo post. At enim futurum est, ut si diuidantur sententiae interficientis & relegantis, praevaleat illa quae absoluit. Quid istud ad censentes? Quos certe non decet, omni bus artibus, omni ratione pugnare, ne fiat, quod est mitius. oportet tamen eos, qui morte puniunt, & qui relegant, ab soluentibus pri mum, nec inter se comparari. scilicet ut in spectaculis quibusdam fors

fors aliquem seponit ac seruat, qui cum uictore contendat: sic in senatu sunt aliqua prima, sunt secunda certamina: & ex duabus sententiarum eam, quae superior exierit, tertia expectat. Et mox: Optimum quidem, quod postulabam. nihilominus tamen quaero, an postulare debuerim? quemadmodum abstinuit is, qui ultimum supplicium sumendum esse censebat, nescio an iure: certe aequitate postulationis meae uictus, omisa sententia sua, accessit releganti: ueritus scilicet, ne, si diuiderentur sententiae (quod alioqui fore uidebatur) ea, quae absoluentis esse censebat, numero praevaleat. et 10 enim longe plures in hac una, quam in duabus singulis erant. Tum illi quoque, qui autoritate eius traherentur, transiente illo destituti, reliquerunt sententiam ab ipso autore desertam: sequutiq; sunt quasi transfugam: quem ducem sequebantur. Sic ex tribus sententiarum duae factae: tenuitq; ex duabus altera, tertia expulsa, quae cum ambas superare non posset, elegit, ab utra uinceretur. Haec Plinius, quibus, & uerbis ipsis legis ostendit, quid sit, in alia omnia ire, & diuidere sententiam. Fuit autem, ne quid omnino cogitationum nostrarum abscondamus, quum existimarem, hoc loco accipi debere Diuideretur, id est, in eam discessio fieret, quatenus de religione dicebat, diuidebantur enim senatores, ut qui assentirentur, in unam partem: qui dissentirent, in alteram irent, quod omnino ne quidem ad huc improbo, alia scilicet diuisione, quam illa, de qua Asconius nosq; supra, ut utraque tamen in Bibuli sententia locum habuerit, siquidem & in duo capita partita est, & prius caput diuisum, id est, diiudicatum pedum sententiarum. Distinctionem autem nostram praecclare uerba illa insequentium literarum confirmant: Quod iam, inquit, illam sententiam Bibuli de tribus legatis frugeramus. Diuidere sententiam Cicero in Pisonem quoque: Diuisa, inquit, sententia est, postulante nescio quo. In alia uero omnia ire, aut transire, aut disce dere, est ipsum quoque apud multos. Cicero ad Plancium: Qui quum, inquit, gratia effecisset, ut sua sententia prima pronunciaretur, fre quens eum senatus reliquit, & in alia omnia discessit. Caelius: Nam quum de intercessione referretur, quae relatio fiebat ex senatus con sulto

sulto, primaq; M. Marcelli sententia pronuntiata esset, qui agendam cum tribunus plebis censerebat, frequens senatus in alia omnia iit. A. Hircius in suo commentario: Nam Marcellus, inquit, proximo anno quum impugnaret Caesaris dignitatem, contra legem Pompeij & Crasij retulerat antè tempus ad senatum de Caesaris prouincijs, sententijsq; dictis, discessionem faciente Marcello, qui sibi omnem dignitatem ex Caesaris inuidia quarebat, senatus frequens in alia omnia transijt. Addeamus & illud ex eadem Epistola tanquam con-

33 ronis uice, quod in ea est: Proxima erat Hortensij sententia.

33 cui Lupus tribunus plebis, quod ipse de Pompcio retulisset, intendere

33 re cepit, antè se discessionem oportere facere quam Consules. Obsecurus enim locus, cum quod inepertum id uidetur contra Hortensium dici, qui consul eo anno non esset: tum uero, quia ex Gellio patet, dictatori primo, inde consulibus, tum prætore, mox tribunus plebis consulendi ius fuisse: idq; ex Terentij Varonis autoritate. In de subijcit Cicero: Eius orationi uehementer ab omnibus reclamatum est, erat enim iniqua & noua. Cæterum ita accipi potest, ut dicat, non modò præferri debere Hortensio, sed consulibus quoque ipsis tribunum. Nanque id non probò, quod quibusdam uiris eruditissimis placet, ea se ratione anteferri Lupi uoluisse, quod de Pom-

33 peio, id est de Reipublicæ principe retulisset. quãquam ne ipsi quidè inceptã eam rationem fuisse inficiantur, ueruntamen à Lupo propostam: quod mihi nõ uidetur. sed iure potius sui magistratus putasse, se prius discessionè facere oportere, quam quã id omnibus iniquũ, neq; ab ullo unquã antè postulatũ iudicabatur. tamen si ea erat tribunatus autoritas, ut constet dictatore constituto hũc unũ magistratum sua in Reip. potestate retinuisse. auctor pluribus locis Plutarchus, alijsq;

VETERNUM CIVITATIS IN EODEM OPERE

Veterano expulso conferuatũ, expositumq;

contra quorundam sententiam aliaq; plu

scula loca restituta. Cap. V.

NON possum hercle satis interdum mirari, tantam quorundam hominum indulgentiam, qui uel imprimendis, uel interpretandis

pretandis autoribus ita sese supinè gerant, ut nihil pensi habeant, quo quidque modo aut scribatur aut intelligatur. In uno alteri ferendi, quod ingenue sibi occultum esse sensum confitentur. Quod si, qui operam suam bonis autoribus nauare pollicentur, ea uidentur cura, quam postulare id genus operis uidetur, profectò & longe emendatiores libros haberemus: et eo fieret, ut in pristinum restitutis tandem ueteribus autoribus, ad noua condenda ætas nostra animum adijcere posset. Quousq; enim se ingenia polita atque subtilia in alienis libris conterent? Neque uero id ego in eam sententiam distupto, quod uel me suscepti operis poeniteat, uel quod alios ab eo nitatar deterrere, finem cupio Annotationibus imponi: sed nondum expurgatis mendis, non cupio: quin ut nunc se res habet literaria, ualde eam scribendi rationem necessariam existimo. Quis enim speret, corruptis bonis ueterum autorum libris, boni quicquam operis à nobis edi posse: quum & res ipsæ, quæ discende sunt, & oratio, qua illustrandæ, non aliunde quam ex priscorum monumentis, usq; integris, promi queat? Itaque in id maxime opus incumbendum est, uincenda barbaries, male doctorum incuria, librariorum incititia superanda ac fugada est, bonis præsertim ingenijs iam ex omni Euro

30 peratentibus. Sed ego ad rem redeo. Pius Bononiensis in annotatis omnibus suis, quũ uersum Martialis, ut ipse putat, corrigeret, ut autè mihi uidetur, deprauaret, ac multa superflue de ueterno in eum locum congestisset, impugit tandem in hunc quoq; scopulum, ut diceret, quod est in Ciceronis Epistola ad Cælium in hæc uerba: Erat in eadem ueteranus ciuitatis: quam Veternum uel Veterius legi oporteret, ut & in nonnullis est codicibus, & animaduersum ab alijs antè erat, mihiq; multo quoque antè prouisum, quam in eius opusculum illud incidere, aut aliorum annotationes, quæ locum hunc exponerent, eo sensu accipi oportere, ut pro ueterno Pompeium Magnum significari à Cicerone intelligamus, quod commentum inde multis ab eo conuëditur figmentis. Cuius uiri autoritas tamen mihi, quum iam loci cum restitutionem tum sensum omnem planè excogitarem, exscriptissemq; etiam breuibus, ut soleo, mem-

cc
cc

moria tantum mee gratia, nihil tamen magis à sententia sum dimo-
 tus. Confirmatus quidem in eam opinionem, quam ante de eo uiro
 conceperat: hominem esse præcipit peruersum, iudicij, cuius, haud ita
 facile assentiendum sit. Siquidem uno illo in capite, ut alia omittam,
 & Martialem peruerit, & luuencialis uer sum optimè scriptum ten-
 tat infringere, & nostram hanc sententiam prorsus nihil assequit-
 ur. Quæro enim, si Cicero quasi segnem, inertem, ac cessantem
 Pompeium, pungere ac notare uoluisse, cur non honestius elegan-
 tiusq; multo ueteranum eum quam ueternum appellaturus fuerit?
 Quod uerbum & ad militem pertinet, quales se tota uita Pompeius
 præstiterat: & ad eum militem, qui iam emeritis stipendijs in ocio
 uitam deinceps agere destinet, & quasi rudem militiæ depositis ar-
 mis accipiat. Cur igitur eorum se numero ascribit, qui ueternum
 reponant, ueteranum confodiant, ac legi uentent: quum sensum inue-
 hat illi uerbo, quod delet, æquissimum atq; conuenientem? nisi quod
 prorsus iudicio caret, ferturq; tanto nouitatis impetu, ut quid agat,
 non intueatur. Idem non contentus uno loco testatam temeritatem
 suam reliquisse, gloriatur etiam in Plautinis commentarijs, hoc à se
 uno uisum, atq; prospectum, quasi non uel eo sit miserabilis, quod
 inuenti sui neminem sit unquam astipulatorem aut subscriptorem
 habiturus. Sed temperemus ab hominis ne de facie quidem noti con-
 tumelijs, cuius nihil præter uerbosam iactantiam horridamq; atque
 incondantem petulantiam medijs fidius odimus. Errorum eius turpio-
 rem facit præceptoris Beroaldi, eruditissimi uiri, curiosa perpen-
 salertia in hoc scribendi genere, huiusq; etiam ipsius loci diligens
 explanatio. post cuius operam præteriri à nobis quoque poterat, si
 non & magno cum dolore spoliari à nobis nostra gloria nos ipsos,
 qui idem quod Beroaldus, collatione locorum coniectura que ante
 deprehenderamus, quam ex scriptis ipsius (dijjs testibus) didicis-
 semus, ferremus, & confidentem Pij istius asscuerationem pericu-
 losam esse studiosis arbitraremur. Scribendum igitur hac par-
 te Veternum pro ueterano, non dubitamus, & pro ciuitatis Ro-
 disidia accipiendum. Id ita esse, perspicuum fecerint Cælij uer-
 ba

ba ex epistola, cui per hanc à Cicerone responsum est. inquit Cæ-
 lius: Consules autem habemus summa diligentia. adhuc senatus con-
 sultum, nisi de ferijs latinis, nullum facere potuerunt. Curioni no-
 stro tribunatus congelat. sed dici non potest, quomodo hic omnia
 liceant, nisi ego cum tabernarijs & aquarijs pugnares, ueternum
 ciuitatem occupasset. Hæc Cælius. Caterum, quid impedit, &
 sequentes huius epistolæ clausulas quasdam interpretari, quando
 hic processimus?

Et congelasse (inquit Cicero) nostrum amicum letabar ocio. ^{cc}
 Amicum suum Curionem intelligit, quem semper suspectum nimio
 plus habuit, ut præcipitem ac temerarium Cicero: non Pompeium,
 ut isti rentur. Apparet id ex præscriptis Cælij uerbis: tum ex his,
 quæ scribit libro septimo ad Voluminium Cicero, de eodem (ut pu-
 to) Curione sentiens. Illa, inquit, quamuis ridicula essent (ut erant)
 mihi tamen risum non mouerunt. Cupio enim illum nostrum amicum
 in tribunatu quamplurimum habere grauitatis. Extrema pagella
 pupugit me tuo chyrographo. De pagella hæc nugatur interpres. Il-
 lud intelligit Cicero, quod ita est in Cælij literis scriptum: Quod
 tibi, inquit, supra scripsi Curionem fringere, iam calet, nam feruentis-
 simè concerpitur. leuissimè enim quia de intercalando non obtinue-
 rat, transfugit ad populum, & pro Cæsare loqui cœpit. Hæc ille,
 qui paulo ante id significarat, quod & alijs monumentis proditum
 est, initio uidelicet tribunatus Curionem Cæsari aduersatum sum-
 moperè, post in gratiam rediisse, cum maxima totius ciuitatis & im-
 perij pernicie. Id etiam non omittimus, quod subijcit Cicero:

Cæsarem non defendit Curio. Pro nõ. & si quis id pertinaciter
 tueatur, reponi tamè posse uel lam, uel (quod magis puto) nunc, ut
 sit cū interrogatione, admirationeq; Cæsare nunc defendit Curio?

Sed & illud quis non uidet absurdum esse, quod hic est? Nam
 ita in uia putauit. Scribendum que potius, ut in alijs quoque co-
 dicibus, quos miror ab Aldo Manutio solertissimo homine non se-
 quutos: Nam, ita uiuam, putauit.) Contemnant hæc quidam, &
 leuiora existiment: ego his corruptis, perire candorem omnem &
 Bb sensus

senfus elegantiam omnino uideo. Non omitam id, cuius me admonuit uir doctissimus, mihiq; imprimis amicus, Io. Petrus Crasus, cuius ac præceptor meus, quod antè legebatur, legiturq; etiam nunc uulgo: Mihi erat in animo, quoniam iurisdictionem confereram, ciuitatis locupletare, in publicanis etiam superioribus lustris reliqua sine sociorum ulla querela conseruata, in priuatis summis infimis fueram iucundus, proficisci in Ciliciam. Ita legi oportere: Mihi erat in animo, quoniam iurisdictionem confereram, ciuitates locupletaram, publicanis etiam superioris lustris reliqua sine sociorum ulla querela conseruaram, priuatis summis infimis fueram iucundus, proficisci in Cilicia. quod & sensus ipse alioqui nullus ostendit, si similis in Epistolis ad Atticum sententiæ expressio. Plutarchus de locupletatione ciuitatum mira prodidit. Suprà quoque, Quoniam comicos martyr, ut opinor, accidit Phannia, accidit, emendauit Ludouicus Rodiginus uir doctus, quem nos ita probamus, si pro Quoniam, legatur Cui, uel Quoniam, sensu alioqui ineptissimo. quid sit autem Comicos martyr, idem ille satis explicat.

REPOSITVM CATVLLIANIS EPIGRAMMATIS COTONIS UITIATVM NOMEN, AUT CATONIS CERTE DECLARATVM. Cap. VI.

Habemus præterea multa, quæ in Ciceronis opera, præcipueq; orationes atque epistolæ nō indigna lectu notentur: sed & ea longiorem operam desiderant, & nos uarietatis iucunditate detinere lectorem uolumus. Quare ad lepidissimi uatis Catulli conterranei nostri (ut ille inquit) Epigrammatōn libellum emaculandum quadantenus accedimus. Qui tametsi à multis adutus, fultus, concimatusq; superioribus annis est, neque ferè doctorum quisquid fuit, qui in hoc ueluti mangonio uersati sint, qui non docti poetæ opusculum aliquo auxilio subleuaret: superfuere tamen et nobis multa, quæ castigaremus. Neque uero committendum est, ut ab externis nauata auctori opera, à nobis, qui & Veronenfes aliquando ciues fuimus, & in ea urbe literarum rudimenta percipimus, intactus in-

adiutusq;

adiutusq; penitus relinquatur. Epigramma eius est, ut uulgo inscribitur, ad Catonem, cuius initium:

O rem ridiculam, Cato, & iocosam.

In eo menda latet, quam tamen interpres quidam non præterijt indictam. ait enim, ideo non uideri sibi esse ad Catonem scriptum Epigramma, quod is non fuerit æqualis Catullo, id est eodem tempore. Quod tametsi inscite dicitur, cum & ad Cæsarem ac Ciceronem scripserit, multisq; præterea argumentis conuincit posit: sed cum maxime æqualis Catoni fuerit, quid causæ est, quod de ridicula ita maxime ad Catonem scribat: aut quid censemus fuisse Catullo cum Catone familiaritatis, homini faceto cum seuro, leui cum senatorio & graui: Dicat fortasse aliquis, nomine Catonis quemlibet tetricum & inuicundum hominem intelligi: quasi Catullus aduocet ad ridendum seueros omnes, ut pote quorum etiam risu dignam rem habeat, quam narrat. Sicut est apud Martialem quoque, primo Epigrammatōn libro. Sed Catullus certum hominem appellare uidetur, cum dicit:

Ride, quicquid amas Cato Catullum.

Ego itaque pro Catone Cotonem legendum censo. nam & facilis fuit immutatio: & uerisimile est, fuisse magnam Catullo cum Cotonem poetæ sui temporis (ut Ouidius eum appellat) leui, & eius per-

Cotto poetæ

simili coniunctionem familiaritatemq; nam & ad Cornificium supra, et Caluum, poetas eiusdem æui scribit, quibus cum ar Etia ostendit se consuetudine iuxisse. Tuo Catullo, inquit, et tuum Catullum. Quam sententiam comprobare & illud uideatur, quod ait:

Dignamq; auribus, & tuo cachinno.

Quasi ad iocosum hominem scribat. quid autem contra alienius à Catone quam cachinni? cum, si Plutarcho credimus, præter ea, quæ plurima tota uita præstitit, seueritatis maxima argumenta, uel puero ita ad risum tardus fuerit, ut ore tamen usq; ad risus significationem renideret, idq; perarò. Denique frustra ducimus, in re notissima luctari, cum exemplar seueritatis semper & habitus sit, & prædicatus. De Cotonem uero Ouidius Naso, in enumeratione

Bb 2 lasciuorum

lasciuorum poetarum, inquit:

Et leue Cornifici, parq; Cotonis opus.

Quod si, ut quibusdam uidetur, apud Ouidium eo loco Catonis legi placeat, in quo non magnopere contendemus, quod ea res & leuior, nec satis certa sit, Catonem hic quoque retinebimus. ac ne luisse operam omnino uideamur, Catonem hunc non dubitamus eundem esse, qui apud Ouidium. Eum sunt qui Valerium Catonem accipiunt, de quo Tranquillus in libello de Claris grammaticis, siue quicumq; ille tandem est autor operis eius, fuisse libertum ex Gallia Burfensi cuiusdam, qui licentia Syllanorum temporum patrimonio exutus grammaticè docuerit, ususq; sit peridoneus præceptor, maxime ad poetas tendentibus, ut appareat his uersiculis:

Cato grammaticus latina Scyren,

Qui solos legit ac facit poetas.

Scripturq; præter grammatices libellos, etiam poemata, ex quibus præcipue probata fuerit Lydia & Diana. cæteraq; de eo apud illum autorem fusius tradita. Non ab re est, Catonem hunc decurionem (ut uideri potest) à nobis haud ita magno sumptu ornatum, additamento quopiam à leuitate tueri. Iuuenulorum igitur in Epigrammate ad puerum, qui dedisset Furiò delicias, multo significantius lectum iri putamus, quam Iuuentiorum: quamuis maxime puerum hunc Iuuentium fuisse interpretemur, cui alijs etiam uersiculis blandiatur. Tanto enim sic lepidius est, atque etiam efficacius, quanto præstat, totam Romanam iuuentutem, quam unam Iuuentiam pulchritudine anteuere. Verbo eius primitiuo, ut Grammatici dicunt, usus Plinius, uel de Galinis loquens: Ex his (inquit) iuencæ plura quam ueteres, usus Horatius: Te suis matres metuunt iuencis. quo loco Porphyrio apud eum his uerbis notat: Iuencis ergo non tantum boues dicuntur, sed homines, quamuis in usu sit, ut non nisi per diminutionem iuenculos dicamus. Acron inscite per metaphoram putat dictum. est enim iuencis proprie generale uerbum, translatum uero ad boues. Quin idem ille Porphyrio eo loco,

Lata quod pubes hedera iuenti,

Gaudeat

Gaudeat pulla magis atque myrto.

Per allegoriam (inquit) hoc signat, iuenculos iuniores mulierculas querere. Ex nostris, id est recentioribus, Pomponius Lætus non parum autor nominis, in Compendio quod Romanæ historiæ ad Franciscum Borgiam scripsit, ita de Constantino Maximo: In ea (inquit) expeditione iuuenulus plus, quam promitterent anni, gessit. Est pro nostra sententia illud,

Non quot sunt modo, sed quot aut fuerunt,

Aut posthac alijs erunt in annis.

10 MATRUCINI IN IDEM EXPUNCTAM
uocem, Marrucini inuectam. Idq; qua ratione, multaq; præterea castigata

loca. Cap. VII.

Per simile est in eodem autore mendum in Matrucini nomine, eo Epigrammate quo repetit ab Asinio Pollione subtractum sibi linteum in cæna, hoc initio:

Matrucine Asini manu sinistra,

Non bellè iteris in ioco atque uino.

Tollis linteæ negligentiorum.

20 Id uerbum, quia quibusdam futile ac nihili est uisum, deletum eiectioniq; ita est, odio puto obscuritatis, ut ne ullum quidem uestigium superesset. Scriptumq; pro eo est,

Inter cænam Asini manu sinistra.

Quod ego tamen suppositiuum arbitror, cum subijciat, In ioco atq; uino: quod scilicet significat, inter cænam. Quum igitur neutrum probem, facile adducor, ut una mutata literula, quod superiore quoque loco uel factum uel tentatum est, sua uerbo integritas, suusq; uariator reddatur. Cupio enim, idq; testatum cunctis esse uolo, in hoc scribendi genere, quam minimum de usitata lectione mutari, si modo reduci ad integrum sensum ea leuitate oratio queat. Alioquin, si pro cuiusq; libidine integra uerba clausulasq; etiã totas expungi, substituiq; pro his alias permittimus, uerendum est, ne hæc effusa nimis laxaq; licentia in perniciem autorũ cõuertatur. Lego igitur:

Bb 3 Matrucine

17 Marrucine Asini manu sinistra.

De Marrucinis Italiae populus nemo non aliquid legit, ex quibus vridundos Asinius fuisse, uideo mihi (ni fallor) ex autore Luitiane Epitome libro septuagefimo tertio collegisse, apud quem his uerbis scriptum inuenimus: Sed & C. Marius Marfos praelio fudit, Hirnio

22 Asinio Marruciorum pretore occiso. Ex quibus facile colligas, Asinijs inde Romae cognomen Marrucinijs mansisse, aut si id parum constare uidetur, toti scilicet generi cognomen id inditum: eo gentis nomine poeta Asinum hunc appellari, quasi parum dignum Romano genere ac nomine, qui tam insulse cum conuiuijs iocaretur. 10 Erat quidem in quibusdam quoque impressis codicibus integra ea diotio: sed ijs ita uerbis, ut praenouis his in desuetudinem abierint, quasiq; exautorati sint. nec apparebat ulla certa ratio lectionis: ideoq; uariatum. quare hoc nobis adnotare libuit, ne deinceps ambigeretur. Addo, in eodem Epigrammate legi debere, ut alijs quoque recte usum: Hoc falsum esse putas, fugit te incepte,

23 Quamuis sordida res est inuenusta est.
non, ut Interpres, falsum. Honestam autem locutum, fugit te, absolute positum, quali & Varro usus: Vide, inquit Atticus, ne te fallat. plenum est, quod ante dixit Catullus, Fugit me ratio. Quamuis autem, 20 est quantumuis. idem Varro: At Q. Lucinius senator (inquit) homo quamuis humanus est iocosus. Adijciamus sane & alia quae piam, inter legendum (ut soleo) cursum notata, nec iudicio nostro studiosam inueniuntem priuimus. In Epigrammate, quod est in Mamurram ac Caesarem, legitur uersiculus:

Paterna primum lancinata sunt bona

Tu, si me audis, ut ratio metri constet, leges,

Vt secunda etiam, tertijsq;

Paterna prima lancinata sunt bona.

Lancinandi uerbo Plinius quoque usus: At hi, inquit, in ipsa nare ea 30 put condunt, pariterq; spiritum praeccludunt, & mollissimas lancinant partes. Quid illud in tertio Epigrammate, in quo passeris mortem deflet? Vide num ita, ut est scriptum, legere uelis:

Nam

Nam mellitus erat, suauisq; norat

Ipsam tam bene, quam puella matrem. An, ut ego puto:

Ipsa tam bene quam puella matrem.

Nam metri quidem ratio, sepius in eo genere ab eo spreta, nihil obfuerit. Obiter id quoque testabor, me haudquam Politianum in interpretatione Catulliani passeris sequi: sed eos potius, qui auculam in delicijs puellae habitam contendunt, ut Hiantidi Stellae columbam, eo potissimum epigrammatis Martialis argumento, quo nihil aptius refellendo Politiano excogitari potest:

10 Accidit infandum nostrae scelus Aule puellae,

Amisit lusus deliciasq; suas.

Non quales lepidi plorat amica Catulli,

Lesbia delicijs passeris orba sui:

Nec Stellae cantata meo, quam fleuit Hiantis,

Cuius in Elystio nigra columba uolat.

Lux mea non capitur nugis, nec amoribus istis,

Nec dominae pectus talia damna mouent.

Viginti puerum numeratam perdidit annos,

Mentula cui nondum sesquipedalis erat.

20 Nam & alioqui Hermolauus in Pliniano Corollario eam sententiam primum Festo autore adiuuans, haud ita dum tamen recipit. Nos adijciamus non leue Plinij iumoris testimonium, qui ad Mamilianum in castra scribens de uersiculis suis & lusibus: Tu, inquit, passeris & columbulis nostris inter aquilas uestras dabis penas, si tamen et tibi placebunt: si tantum sibi, continendos cauea nido ue curabis. Existimabis praeter haec Lector, quod est in quarto Epigramate sic:

Et inde tot per impotentia freta,

Herum tulisse, laena siue dextera

Vocaret aura, siue utrumq; Iuppiter

30 Simul secundus incidisset in pedem:

Cum habeant exemplaria alia pro, Vtrumq;, ut cuiq; num legi possit,

Vocaret aura, siue utrumq; Iuppiter

Semel secundus incidisset in pedem.

Neque

Neque dum tamen usquam legi Semel, sed coniecturam tamen sequor. alioqui Simul legendo, nō video quomodo aliter accipi possit, quam pro simul atq; id est, quū, postquā, ubi primū sicut Horatius, Quæ simul inuersum contristat Aquarius annum,

Et alibi sæpius. Si uero Semel legimus, aperta sententia est. Apponemus Et de nautico pede nonnihil, ut inde appareat, quæ maxime sequenda lectio. Lucanus: Et flexo nauita cornu

Oblinat leuo pede carbasa. Idem: Quo nūc pede carbasa tendi. Cicero libro de Oratore tertio, ubi de translatis uerbis tractat: Atque hoc in genere (inquit) per sepe mihi admirandum uidetur, quid sit, quod omnes translatis atque alienis magis delectantur uerbis, quam proprijs Et suis. nam, si res suum nomen Et proprium uocabulum non habet, ut pes in nauī, Et reliqua interiecta, necessitas cogit, quod nō habeas aliunde sumere. Plinius libro secundo: Iisdem autem uentis, inquit, navigatur in contrarium prolatis pedibus, ut noctu plerumque aduersa uela concurrant. Plautus remos nauium pedes dixit, si Nonio credimus. Indidem est:

Neq; ulla uota litoralibus deis

Sibi esse facta, quum ueniret à mari

Nouissime, hunc ad usque limpida lacum.

Quum legeretur Nouissem, reposuit Sabellicus Nouissime: quod aliter non exponetur rectè, quam proxime, quasi dicat, quum iam esset uetus. Ego uideo, Nouissimo elegantissime mutari: ut sit Nouissimo mari, quod magnam habet emphasim. Littorales dii sunt, quos Vergilius ostendit:

Votq; seruati soluent in litore nauæ,

Glauco Et Patopææ Et Inoo Melicertæ.

Quem Græci Palæmonē, nostri Portunum dixere. Sanè miror, quid eidem Sabellico uenerit in mentem, paulo post, ubi recepta lectio habebat:

At certe tamen, inquit, quod illic

Natum dicitur, ære comparasti

Ad lecticam homines.

Ut pro

Ut pro Homines, Hominum scribi oportere dixerit, magno meiri sensusq; dispendio. ut iam de eius ipsius codicis fide suspicer, ne sit ab impressoribus quocumq; modo corrupta. Iam extremum illud uide, quum omnes hæctenus legerint in eodem Epigrammate,

At mi nullus erat neq; hic neq; illic:

nos malimus, quasi nec ex paterno neq; provinciali ære significet,

At mi nullus erat, neq; hinc neq; illinc.

DE NEMAEO PVERO APVD EVNDEM AGITATA QUÆSTIO, aliterq; legi debere ostensum, simul & alia disceptata. Cap. VIII.

Nequeo à iucundissimo eodemq; doctissimo Vate facile abstrahi, Et aliò properantem ne reuocat retrahitq; inusta nitidissimis uersiculis subinde nota, occurrantq; undiq; in paruo opere cicatrices magnæ sedæq; quæ me ab eo diuelli nō sinant. Vix enim credi potest, quantopere uicem tantorum hominum doleam, grauiusq; feram calamitatem immeritis ingruentem, opprimentemq; dulcissimos ab his nobis ingenij fructus relictos. Quare nitamur Et hæc, obducta iam quidem illa, sed male curata ulcera, Et putredinem in dies contrahentia sanare, si possumus, in Catullo. Epigramma ad Aurelium Catulli sodalem uulgo ita circumfertur:

At qui, si id faceres satur, tacerem.

Nunc ipsum id doleo, quod esurire

Nemæus puer Et sitire discet. Vel, ut alijs placet,

Næ meus puer Et sitire discet.

Nos neutrorum in postremo carmine sententiam probamus, certis subnixi rationibus. Nemæus enim puer, quasi Hylas, qui Herculi amatus sit, à quo Hercules leo ex Nemea sylua prostratus Et occisus sit, quin accipi possit, Et longe nimis petita significatio, Et uerbi deriuatio ostendunt. Facit enim Nemea Nemæum, ut Tegea Tegeum: quod Et in Lucano, eo uersu, Nemeum Phæbe leonem, re-

Lucani locute (quantum arbitror) à Sabellico emendatum est, ut Nemeum cus, quadri syllabon legeretur. Sicut Et Maro dixit, Ad sis o Tegeæ faciens. Alteram illam lectionem refellit usus eius uerbi, quod est Næ,

Cc quum

quū affirmantis est. Semper enim in eo significatu præcedit primitiuum pronomen, ut adnotauit ocularissimus in omni doctrinarum

10. **Petrus Crassus.** meus & cuius & præceptor: ut, næ tu, næ ego, næ illi, quod usi Ciceronis aliorumq; doctorum comprobatur autorum, nam nec apud Terentium eos sequor, qui, faciunt ne intelligendo, ut nihil intelligant. næ, certe accipiunt: magisq; est, ut interrogatiue legi debeat. Deniq; honestissima ea dictio, raro in sermone uenit, ac certis quasi locis accommodatur. Quid igitur est? aut quid hoc loco reponemus? nempe id quod est a nemine animadu-
uer sum: Nireus puer, & stirre discet.

Id est, pulcherrimus, & Nireo Homérico similis, tanquam si Ganimedeum dixisset, in qua sententia ita iam diu sum, ut nihil aliud uel a Catullo esse scriptum, uel a nobis recte legi posse autumem. nam ab his nominibus, quæ in Eus diphthongon exeunt, deriuatiua nomina penultimam produciunt, & in eam formâ desinunt, ut Theseus Theseus, Orpheus Orpheus, Nireus Nireus. De Nireo Porpertijs, Nireæ non facies, non ius exemit Achillem. Ouidius,

Sit licet antiquo Nireus adamatus Homero:

Horatius quoq; alij assatim meminere. Eleganter igitur Catullus Homericis operis alioqui studiosissimus, puerum suum Nireum dixit: idq; permagnam habet emphasim. De Ploxemo, siue Ploxeno, scio quid interpretes ex Quintiliano Festoq; annotarint. mihi id ualde probatur, ut sit Ploxenu uerbum eo sensu acceptum, quo et a Varrone, qui in Rei rusticæ libris, ubi de terendo frumento agit, instrumentum ei operi ex asibus dentatis cum orbiculis, Ploxenum punicum appellari tradit. nam & Catullus ait:

20. —Hoc dentes sesquipedales

20. Gingiuas uero Ploxeni habet ueteris.

Nec me ualde mouerit in tam raro uerbo Quintilliani autoritas, a Catullo inuentum prodentis. quin et eum hominem fuisse arbitror, 30 quiq; decipi, falli, obliuisci lectorum posset: quum, ut est in proverbio, bonus interdum dormitet Homerus. Nam ne Donatus quidem, Terentianus interpres, Ciceronis autoritatem est reueritus, quæ
eum

eum errasse diceret, qui obsequij uerbum a Terentio primum dictū asserat: quum in Plauti fabulis multo antè conscriptis id deprehenderit. Similiq; errore Plinius Secundus ab Hermolao lapsus arguitur, in suminis dictione, quam ille a Publio minorum poeta excogitatum dicat, quum sint ea Plautus Lucillius que etiam antè usi, nisi uero fuerit his antiquior Publius. Deniq; periculosum est, profiteri uerbi inuentorem, eiusq; qui plurimū memoriæ suæ tribuat. Quam obrem non uere binur (præfata tamen uenia) leuiorem hanc Quintiliano notam impingere. Tametsi fieri etiam perbelle potest, ut quī
20 sint hi libri a Varrone uetere iam, et (ut ait) sarcinas colligente scripti, Catullus prior uocem in usum scriptumq; deduxerit. Mendo sum est, ut puto, in eodem carmen id, quod ab A. Gellio defenditur contra cuiusdam impugnationem:

Lebia mi dicit semper male, nec tacet unquam

De me: dispeream, me nisi Lebia amat.

Cui ego, quasi eadem, totidem mox deprecor illi

Asidue: uerum dispeream, nisi amo.

Nec tamen ualde placet, ut legatur, quemadmodum supponitur a quibusdam:

20 Quo signo? quasi ego totidem mox deprecor illam

Asidue: uerum dispeream, nisi amo.

Id enim rancidulum est, & subineptum. Nec succurrit tamen, quid maxime reponi uelin, nisi quod Quasi uerbum, omnino ab imperito inculcatū arbitror. Videndum tamē, num pro eo uel Quæro, uel tale aliquid admitti possit. Distinctione certe inuandus uersus, nam, ut supra dixit, duplici colo. Mi dicit semper male, nec tacet unquam De me: ita hic quoq; duobus orationis membris rem exprimit, quod & alioqui Eadem, totidem, satis indicant. ut lecturi sumus ita non omnino insulse, nec ut mihi tamen satisfaciam:

30 Cui ego quæro eadem, totidem mox deprecor illi

Asidue: uerum dispeream, nisi amo.

Quod si recipimus, quum sit deprecor, ualde precor, ut ille putauit, quicunque in Lycio ambulans Catullo male dixit: non erunt fri

Cicero a Donato notatus.

Quintilianus notatus

gidi uersus, sed uel facetissimi atque elegantes, lepidiq; nec sale ca-
rentes. nec Gellij defensione ualde opus erit, qui sanè nullum satis
simile, ut ego existimo, exemplum in usu uerbi adinuenit. Significat
hoc loco Catullo deprecor id, quod aptius propriusq; Imprecor, ac
significantius dixisset. Quod si & obloquentem illum non omni-
no ineptissimum, & Gellium acutum propugnatores fingere uolu-
mus, ita lectum illis existimare necesse est, quantum ad hanc tantū
clausulam scilicet attinet,

Mox deprecor illam:

Non, ut est nunc, illi. Existimauit enim censor ille Catulliani carmi-
nis, quum sic legisset, Catullum ita sensisse, ubi primum Lesbica ma-
le dixisset, confestim penitentia actum deprecari illam, id est blan-
dioribus uerbis totidem orare, ut parcitum loquacitati amatoris uel-
let. Quod si hoc dicere tentasset Catullus, sine dubio frigidius Epi-
gramma confecisset. Recte igitur à Gellio defensus. Sed &
in Epigrammate, quod facit ad Coloniam, oppidum (ut pleriq; ren-
tur) meum, eo uersu,

In fossa Liguris iacet separata securi:

Nequaquam admitto ex Politiani sententia, Expernata: ea maxime
adductus ratione, quod à cæterorum metrorum quantitate discre-
pet id uerbum, Separata uero ad unguem conueniat omnibus Ligu-
ris. hinc Vergilius, Assuetumq; malo Ligurum: id est labori, inquit
Sernius.

IVVENALIS LOCA QVAEDAM ALI-
ter uel legi uel exponi oportere, quàm sit factū
hactenus. Inhibiq; interpretum lapsus,
Politianicq; etiam. Cap. IX.

Superuacuum fortasse quibusdam uideri possit, post tot com-
mentaria, extrariarq; etiam interpretationes annotationesq;
quippiam in Iuuenalem noui polliceri. Et tamen non dubito, quin
multa in eo adhuc uel ad integritatem auctoris uel sensum desidera-
tur. Vel unum illud, quod ipso initio, primoq; adeo ipso carmine oc-
currit, quis nondum, tot excogitatis sententijs, recte interpreta-
tione

tum arbitretur: ut est,

Semper ego auditor tantum? nunquam ne reponam?

Reponendi mille significata Domitius, Merula, Valla, cæteri adin-
uenerunt, nec tamen unum aliquod eligunt, cui respicere poetam
uoluisse confirmet: tantum uagi consulere in medium uidentur.

Ego pro certo affirmare ausum, id quod, ubi primum intendere in
eam rem animum occæpi, in mentem uenit, nihil aliud significare
hoc loco Reponam absolute positum, quàm uicem reddam: & cum
sequenti uersu coniungendū sensum, ut sit, Nunquam ne reponā,
Vexatus toties rauci Theſeide Codri?

Id est, nunquam ne ipsum Codrum, qui aſidua prolixi carminis re-
citatione & mihi aures caputq; obtudit, & sibi uocem ita deturpa-
uit, ut irrauerit, inuicem uexabo? quasi dicat, maxime. est enim
interrogatio, affirmatiuam exigens responſionem. Reponere enim
inter plurima hoc quoque significat, simpliciter præsertim dictum,

uicem scilicet reddere. unde Iuuenalis, seipsum extenuans, redditu-
rum se uexationem poetis se iam pridem uexantibus per interroga-
tionem pollicetur. Idem uerbum eadem uo positum à Cicerone ad
Lentulum proconsulem, quum ait: Cur autem laudarim, peto à te,

ut id à me, ne ue in hoc reo, ne ue in alijs quaeras, ne tibi ego idem re-
ponam, quum ueneris, tamen si possum uel absentis. recordare enim,
quibus laudationem ex ultimis terris miseris, nec hoc pertinueris.
Profecto tibi Lentule (inquit Cicero) reponam, cum Romam uene-
ris, te que pari molestia afficiā, ut cogam mihi exponere, quo conse-
lio eos reos laudaueris, uel ex Hispania prouincia Romam laudatio-
ne missa, qui tibi antea fuerant inſenſi, reconciliata gratia. In quo
tamen loco interpret miserè labitur. Sensum hunc subſecit ferè
Valla, licet incertis titubans plantis, postremoq; etiam alio transſu-
git. ait enim primo: Reponam, scribam, recitabo, referam uicem, red-
dam his qui mihi male recitarunt: id rectè. Paulo infra idem sic: Re-
pono, scribo, Victor honoratum si forte reponis Achil-
lem. ita & hic exponendum, inquit. Viden, ut incertus in sexcen-
tas trahatur sententias: neque est præter Ciceronis ullum, aut ra-

rum, tam simile in eo uerbo exemplum, quantum ad hanc diem notarim. Sanè Codrum hunc (ni fallor) Plutarchus quoque intelligit, quum in uita Theſei sic ſcribit: Nam, quæ de Amazonum motu & inſultu in Theſeum factò ob nuptiam ſibi Phædræ conſilio Antiopæ & aliarum unâ ſecum iniurias perſequentium, deq; clade et interitu ab Hercule illis illato Theſeidos autor literis prodidit, ea commentis fabularum ſimiliora quàm ueritati uidentur eſſe. nec mirum, quum in Ciceronis uita eum quoque Iuuenalis uerſum citet:

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dicit.

Impune. Hæc inſcitta interpretes in ſequentibus quoq; uerſibus, Impune, perperam accipere cõgẽt, neque enim ſignificat, paſſim, uulgo, ut iſti ſomniant; per deductiua argos à uero ſenſu aberrantes: ſed proprie, ſine pœna, hoc ſenſu. Ergo alius totas quotidie fabulas recitando uexauerit me obtuleritq; & id à me impune feret? neq; eum pari audiendi me pœna afficiã: id enim indignatur pœta. *Ibidem,*

11 Tyrias humero reuocante lacernas:

Quidam ad pondus referunt. Tu uide, ne id potius ſpectarit, quod & Horatius in Satyris taxat:

Malchius tunicis demiſſis ambulat.

Et Acron interpres: Qui delicati (inquit) haberi uolebant, tunicis demiſſis ambulabant. Tibullus quoque, quum molles & delicatos ſemoueret:

12 Tunc procul abſitis, quiſquis colit arte capillos,

13 Effluit effuſo cui toga laxa ſinu.

In eadem: Aut Diomedes, &c. Iulium Antonium pœtam Auguſti temporibus, ſcribit Acron, Horatianus interpres, Diomedes duodecim libris heroico carmine perſcripſiſſe. *Ibidem* nemo ex dec. tot interpretibus ſumptum illud ex hiſtoria monet, quod ſatyra morſu dignum uideatur:

14 Exul ab octaua Marius bibit.

15 Plutarchus in Apophthegmatis, refert Cabriam unâ cum Iphicrate proditionis accerſitum, frequentantem gymnaſia, ac conſueta horra prandentem, à Correo reprehenſum reſpondiſſe, ſe quidem unctum

unctum paſtumq; necatum iri, ipſum uero ieiunum ac ſqualidum. At Marius uel ante horam prandebat, ſi quidem (ut Martialis eſt autor) Imperat extructos frangere nona toros. Ne illud quidem rectè expoſitum in eo uerſu,

Sed, cum ſummus honos finito computet anno,

Sportula quid referat:

ab his, qui ſummum honorem uel nobiles, ac diuites, etiam libertinæ conditionis, uel prætores intelligunt tantũ. ſed tribunos quoq; uſq; ad Conſules notat, quod & Martialis taxat eo Epigrammate;

10 Cum tu, laurigeris annum qui ſaſcibus intras,

Manè ſalutator limina mille teras,

Hic ego quid faciam? quid nobis Paule relinquit?

& reliqua in eandem ſententiam. Quid illud? non ne corruptum? nec tamen ab ullo animaduerſum in eadẽ ſatyra? Vnde illa priorũ,

Scribendi, quodcumque animo flagrante liberet,

Simplicitas? cuius non audeo dicere nomen.

Sicq; mutandũ, uel meo periculo, ſenſu alioqui aut nullo, aut inepto:

Cuius nunc audeo dicere nomen? quaſi diceret, nullius. Ut celeberrimum in eodem carmen, repetitumq; integrius legetur: itaq; ſcriptum apud Lactantium Firmianum primum inuenimus:

Nullum numen habes, ſi ſit prudentia: ſed te

Nos Facimus fortuna deam, celoq; locamus,

non, ut deprauatum eſt, paſſim que habetur contra ſententiæ decorem omnem:

Nullum numen abeſt.

Politianus uero autori quidem uerbum Cacoëthe reſtituit, ſeptima

Satyra in eo carmine,

Tenet in ſanabile multos

Scribendi cacoëthe, & ægro in corde ſeneſcit.

13 Idem tamen communi fato (quando nulli uni omnia dii dedere) parum id ex re eſt interpretatus. neque enim malam conſuetudinẽm pœtæ ſignificat, ſed ulceris genus, autore pluribus locis in medicina libris Plinio, & duritias quaſdam, ad quod morbi genus alluſiſſe

pœtam

poetam magis est ut arbitremur, quoniam insanabile & ægro corde adiectum est. nam idem autor Plinius, insanabilem morbum prope significat libro XXIII. cap. X. ubi est in hæc uerba de hedera: illinitur decocta in uino omnium ulcerum generi, etiam si cacothæthe sint. Sed & libro XXVIII. cap. ultimo: Sanare ulcera tradunt diâs insanabilia, strumas, panos, diebus uiginti uno impositas, percussa, confusa, cacothæthe, scabiem, furunculosq;. Celsus ita hoc ulcus definit: cum ipsum quidem ulcus pressum est, sed quæ circa sunt intenduntur & intumescunt. Galenus quoque eodem uerbo usus. ut iam dubitari non oporteat, nec Politiani auctoritatem tantis uiris præferri: quem tamen haudquaquam sua laude fraudandum ducimus, ac magnam potius inuenti habendam gratiam. Iam illa, nû prætereunda, licet leuia? nequaquam, cum sint uel in Manutianis, quos sequimur, probatissimosq; scimus, codicibus deprauata:

- » Semodio scobis hæc emendat seruulus unus. Tu legito,
 » Semodio scobis hæc emundat seruulus unus.

Sicut et paulo infra, Gustauerit, non gestauerit. Vsurpat emundandi uerbum Columella quoque: Quædam pluuijs diebus, ut bouilia & ouilia debent emundari. Non deerant præter ea quæ notaremus, sed quæ tamen in aliud tempus referre maluerimus, cum ne nimium crescat Decuria, tum quia laborum nostrorum gustum quandam tantum præbere doctis hoc libello, non fructus uolumus. Non præteribimus tamen, cum dixit Iuuenalis, Cernicibus æquat

- » Hercules, Antæum prociâ tellure tenentis:
 Ad Polycleti statuum, quæ Romæ erat, alluisse. de qua sic Plinius: Polycletus fecit Herculem, qui Romæ sit, Anthæum â terra sustinentem.

DOMITII CALDERINI IN MARTIA-
 lem errata quædam, declaratusq; uere

Autor pluribus locis. Cap. X.

A Sciscianus sanè in decurionem nostram & Martialem, bellum in primis hominem, iucundum, facetum atque urbanum, & qui totam Decuriam salibus suis delectare possit. In eum extant

extant Domitij Veronensis Calderini præclari in literis uiri, cuiq; Domitius haud facile parem in eo scribendi genere reperias, commentaria, scite & mira breuitate conscripta: in quibus, si fateri uerum libet, permulta recondita alioqui & abdita autoris sensa diligentissime perscrutatur, ita tamen, ut cæcuciat nonnunquam atque labatur. quod scilicet necessario euenit homini alioqui nato, in tanta antiquitatis obscuritate, tamq; multis propositis, seseq; in aliena opera exercenti obijcientibus dubijs. ut magis laude dignum sit, tam multa recte exposuisse, quam in aliquo interdum esse deceptum, reprehensionem mereatur. Itaq; Lucillij carmen in sua transfert ita Martialis:

Et, tibi Mæonio quod carmine maius habetur,

Lucilli Columella hic situs Metrophanes.

Vbi Metrophanem Columellam nomen esse serui proprium Domitius putat: Lucilli scilicet seruum, inquit. quasi uero Columella seruum non significet. Veteres enim Columellas dixere, maioris domus seruos, â columine, unde columna dicta, sustentatio. Mirorq; uel maxime, uirum tantæ lectiõnis hoc apud Donatum in Commentario super Phormione Terentiana non legisse in eum locum, Columen uero familia. namq; & uersum ipsum Lucillij citat Donatus, uerbunq; Columellæ exponit, ut diximus. Nec uero spernendus error super dictiõne præcipue tam rara, ut præter hunc Lucillij locum uix in tanta librorum autorumq; multitudine ac copia semel aut iterum legere sit. In nono eiusdem poetæ libro legimus,

Campus diues Apollo sic mutinis,

Sic semper senibus fruare cygnis.

Legiq; ita oportere confirmat idem Domitius, & antiquorum exemplarium fide, & propter multam Apollinis Sminthei celebritatem: atque ita, ut uideatur de his Apollinis Sminthei campis hoc dictum sentire, qui erant in Chrissa Ciliciæ urbe. ea porro ratione eum optari diuitem, non ut pecunias alias ue diuitias ei precetur Martialis (qd enim his superis opus?) sed eo sensu, sic sis diues, id est, sic religio sistime colaris. Ego uero ita Domitij sententiæ nõ accedo, ut existimem, non de templo quod in Chrissa fuit, intelligere Martialem;

Dd quid

quid enim campos nominet, quum sit in urbe templum: aut quomodo coletur in campis Smintheis Apollo, & non in templo: aut quare tandem isti sunt campi: declarare oportuit, nō modo esse in Chryssa templum Sminthei Apollinis, sed etiam quare ratione campos ei sacros tos dixerit Martialis. ita enim transfugit à templo ad campos Domitius, ut magis unde abeat, quam quo tendat, intelligere uideatur. Id enim quod assertit in defensionem, plurimus scilicet in locis cultum fuisse Apollinem sub Sminthei nomine, magis ad monstrandam eius nominis celebritatem, quam quod ad id Martialis spectaret, adducere ipse fatetur. Collecta autem ab eo nō sunt, ut ait, satis sensui poetæ aperiendo. cur enim campos nominauit: itaq; ut tandem, quid sentiam, explicem, non de Chrifseo templo, ut arbitror, Martialis sensu: uerum ad Sminthea loca, quæ apud agrum Larissæum esse testatur Strabo. ea enim celeberrima fuisse, et multis laudata, uel unus Horatius Flaccus testis erit grauisimus, quum inquit,

“ Nec tam Larissæ percusit campus opimæ.

Horatij locus. Quamuis de Thesalica Larissa acceperit male (ut opinor) Acron, nam Horatius celebres numinum cultu urbes nominat, quod ne Acronē quidem preterijt. Et alibi inquit Horatius, Pinguis Phrygiæ Mygdonias opes: quod idem Acron fertilis interpretatur. Mouet, quod Horatius & campum & opimam dixit: ut Martialis, diues campis.

Murinum.

Murinum à mure non solus aut primus Martialis finxit, sed & antè Columella, & Plinius Secundus, nec non Iustinus in secundo, & Palladius agricolationis autor. Quum tamen apud multos legerimus de urbe Myrina in Lemno insula, alteraq; in Aeolide, et Gryno oppidulo, unde Gryneus Apollo. Ferè uideri potest à Myrine Myrinus penultima longa deductum. namq; et Plinius libro V. Cap. XXX. iuxta eam urbem fuisse Larissam indicat. Quin duas potius Larissas, alteram tamen Chrifseæ propinquirem, iuxtaq; eam Smintheium templum durare, utramque uero Larissam littori appositam. De Gryno uero, siue Grynea, Stephanus, Hecateusq; præter Plinium ac Strabonem, Myrinoorum uicium esse indicat Stephanus. Sanè camporum frequens in his locis mentio. nam & Pomponius

ponius Mela, quem urbem his in locis Thebas uocat Plinius, campum ipse nuncupat: Campus, inquit, Thebæ nomine. Bergyletos quoque campos in adiacenti Ionia nominat Plinius, & quos à Smyrna Hermus amnis facit, & nomini suo adoptat, tum alios his uerbis: Mons, inquit, Minas, CCL. M. P. excurrents, atq; in continentibus campis residents, quo in loco magnus Alexander intercidit planiciem eam iusserat. VII. M. D. P. longitudine, ut duos sinus iungeret, Erythrasq; cum Minante circumfunderet. Iuxta eos fuerunt oppida. Gryneum sanè nemo Seruius apud Clazomenem in finibus Ionij statuit, ut sit uel ex Vergilio sumptum, inde:

His tibi Grynei nemoris dicatur origo,

Ne quis sit lucus, quo se plus iacet Apollo.

Id alioqui & Euphorioni Græco poetæ: quum Gallus in Latinū uertit, constat ex eodem Seruio fuisse celebratum. Quin & multis nominibus cultus illis locis Apollo. nam & Clarij fanum, & Didymei oraculum fuit in contermina Ionia: et Thymbreus in Teuthrania, si Seruio credimus: & Patareus in Lycia, multisq; præterea. Neque uero ignoro, hæc iam pridem ab ipso Domitio contra incerti nominis autorem disputata refutatq;. Sed tamen, quum nec illius (quod sciam) extet Epistola, & hæc, prius quam in illam Domitij controuersiam incidere, adnotassem, non putauit non esse scribenda. Sed & ut ille Domitij aduersarius existimauit, grammatices ratio refelli non potest. In Ionia enim, & cæteras tales uoces desinentia, deriuatiua similia habet: ut Palestina, Palestinus, na, num: Amerinium, Amerinus, na, num. quanquam et aliter desinere possit, ut hoc ipsum Myrinus & Myrinus, ab Amerino oppido Vergilius deduxit,

Aut Amerina parant lente retinacula uitæ,

Inibiq; Seruius, & Cicero pro Roscio Amerino orationem inscripsit. Durius scilicet alioqui uidetur, & longè petittum Murini hoc loco significatum, syllabæ præsertim mora refragante: tamen si id uerbum in usu sit plerisq;, ut diximus. ac licet Murinus scriptum inueniatur, erit tamen ueteri more pro Myrinis, u scilicet Latina litera pro Græca y immutata. Diues autè proprie etiam accipi potest. Mela

Dd 2 de

Apollinis
cognomina

de Patareo Apolline: Vt multa oppida, inquit, sic præter Patarâ non illustria, illam nobilem facit delubrû Apollinis, quondâ opibus et oraculi fide Delphico simile: propter donaria scilicet & templorû ipsorû preciosas marmoreasq; ædificationes, cæteramq; ueterè nostrâq; etiam prodigialitatè. Conturbatorem in eodè opere parû aptè idem uidetur explicuisse Domitius, duobus locis. uno illo, septimo libro:

Cōturbator

Ad domum redeas, postea te non capit ignis,
Conturbator aper, uilius es irio.

Altero illo, in decimo,

Hic preciosa fames, conturbatorq; Macellus.

Ego conturbare turbareq; in ea ui esse existimo, abijcere, perdere, dissipare: sicut deturbare, deijcere, neq; alio sensu dictum à Martia le, quàm sit à Iuvenale quoq;

Nec parua tamen mensura relicta

Partis erat, totam banc turbauit filius amens,

Dum meliore nouas attollit marmore uillas.

Cōturbare.

Budæus quidem aliter putat in Adnotat. Pandectarum. Conturbare enim antiquo iuris uerbo, fuisse decoquere: inde conturbatorem, quasi decoquere cogentè. Adijciemus et illud, de quo permagna est inter Laurentiû Vallâ Priscianumq; contentio, de fico ficuq; ex eiusdem Martialis Epigrammate, quod ita scriptum præfert Priscianus:

Quum dixi ficos, rides quasi barbarâ uerba,

Et dici ficos Cæciliane iubes.

Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci:

Dicemus ficos Cæciliane tuos?

Vt sit in primo tantû carmine secûdæ inflexionis, in cæteris tribus quartæ. Quod si ita legimus, necesse est, ut putauit Laurentius, ultimun uersiculû uel ironicôs, uel per interrogationem negatiua responsione indigentem accipere: quasi diceret minime, sed ficos, ut à me dictû carpis. Ex quo apparet, in eo loco, quem deriserat Cæcilia nus, quicumq; tandè ille fuit, à Martiale dictû ficos secûdæ inflexionis, pro morbo. Alioquin reprehèderet seipse Martialis, quod minime putandû est. Sanè toto opere ficum Martialis pro fructu & secûdæ

Ficus.

& quartæ declinationis uisitat. Cæterum fuit què ego aliter legendum existimarem, cuius meæ sententiæ quia me nondû omnino pœnitet, non celabo studiosos animi mei iudicium, quale idcumque est, quancumq; in partem accipiat. Ita scilicet:

Quum dixi ficus, rides quasi barbarâ uerba,

Et dici ficos Cæciliane iubes.

Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci,

Dicemus ficos Cæciliane tuos.

Vt primo & tertio carmine quartæ declinationis, secundo ultimoq; secundæ dixerit. Si enim quartæ tantum declinationis ficus morbû significaret, ut uoluit Priscianus: eum qui talem morbum pateretur, non ficosum, sed ficuosum, ut lucuosum, fructuosumq; diceremus. nec tamen usquam est ficuosum, cum ficosum ubiq; legamus. Idem:

Ficosus.

Ficosa est uxor, ficosus & ipse maritus,

Filia ficosa est, & gener atq; socer.

Cum sint ficosi pariter iuuenesq; senesq;:

Res mira est, ficos non habet unus ager.

Ex quo etiam epigrammate apparet, tam morbû quàm fructû secundæ declinationis esse posse. quia cum ficosos dixisset, subdidit, ficos non habet, qui à fico ficosos dixisset, & utrunq; eadem declinatione significetur. Quamuis ficus in quarta quidâ hic male scribant. Illud autè Epigramma ita esse legendû, ut nos docuimus, uel illud argumèto est, quod in quarto primum libro de sicu fecit mentionè Martialis, in Epigrammate cuius intitû, Saturnalia diuît Sabellû, cû ait:

Et ficus Libyæ gelata testa.

Quo scilicet uiso, Cæcilianus poëta barbarici reprehèderat, quasi nusquâ ficus in quarta declinatione inueniretur pro fructu, s. quem Martialis in sequenti libro, nempe quinto (nam eo numero citat librû Martialis Priscianus) eludit. Quasi diceret, in quarta, ut ego sum usus, dicitur ficus pro fructu: in secûda autè, secundû quâ dici semper ficum uis, utimur, quum morbum, quo tu laboras, significare uolumus. Quamobrè non sentit de generis differentia Martialis, neq; ad id primû Epigramma conscriptû est, ut uoluit Laurentius: tamen si

Dd 3 id

ed obiter, & ut dicitur, in consequentiâ succedit. quâ, quartæ declinationis cū est, masculini generis esse nō potest, cōtrâ quâ a grammaticis quibusdā affirmetur, qui ultimū illum uersiculum planè legunt, ut Priscianus, citraq; interrogationē atq; ironiam perperam. At secūda, utriusq; est generis, cum fructum notat: cum morbum, masculini tantū. Quid enim poneret differentiâ generis Martialis, de declinatione alioqui reprehensus? Neg, uero id significat, cū dicit Dicamus ficus quas scimus in arbore nasci, ficū secūda declinationis pro fructu dici nō posse: sed morbū quartæ esse posse, id uero pernegat. Quod si aliter legatur Epigrâma, frigidissimus fuerit Martialis, et insulsissimus: quū ita lectū et elegantissimum et festiuissimū sit. Est enim sensus: ô Cæciliane, cū negas aliter ficum dici, quâ secūda declinatione, recte loqueris: cogitas enim morbū tuū, qui quidem aliter appellari non potest. at ego cū dico ficus in quarta, nō male loquor: intelligo. n. fructū. Itaq; unum hoc ostendere uult Martialis, ficum fructū etiam quartæ esse, nec necessario secūda inflexionis: at morbū necessario secūda. Secūda uero, cum morbū notat, semper esse masculinū: at cum fructum quartæ, semper femininū. Hoc nō ideo minus notare debuimus, quod grammatices quandā rationē & meram literaturâ saperet, à quibus eruditi more quodā refugunt. nam nos ne hæc quidem spernimus, cum sumi præcipue cū autoris cuiuspiâ non inelegantis candore incolumitateq; cōiuncta.

Martialis locus explicatur.

Hæc habuimus, quæ trium dierum properata opera in unum collecta, cum ea iam pridē notaſsemus, libello hoc complexi ederemus in gratiam studioſorum: à quibus cum multa in eo genere didiciſſemus, nō fuit cōmittendum, ut pro tanta sorte nullam uſurâ redderemus. Sed hoc quasi leuiore ſcenore inuitandi fuerant, ut minus huiusmodi literarias pecunias libentes darent: ſpe certa, non minoris à nobis in poſterum lucri conſequendi. 30

DECURIAE BERNARDINI
RUTILII FINIS.

VITARVM
RECENTIORVM IVRE
CONSULTORVM PERIOCHAE.

PER IOANNEM FICHARDVM
FRANCOVRTENSEM.

Vnà cum memorabilium
INDICE.

DOMINO CLAVDIO PIO
PEVTINGERO IVRECONSULTO
CLARISS. FLORENTISSIMAE
Reipub. Augustanae Aduocato,
Ioannes Fichardus Franco-
furtensis S.



QVOD in clarorum Oratorum hi-
storia queri Marcus Cicero uide-
tur, difficile esse de illis plus intelli-
gere, quam quantum ex monumen-
tis suspicari liceat, illud ipsum re-
cte quis et de Iurisconsultis tam ue-
teribus quam recentioribus dixerit. Cum enim &
permulti ita obscuri uixerint, ut nisi in aliorum scri-
ptis eorum nomina interdum reperirentur, nulla pror-
sus ipsorum memoria superesset, et ex posteris nemo
ferè non suae magis memoriae, quam maiorum stu-
diosus fuerit, et ob id eorum labores, uitamque actam
plerique silentio praeterierint, sanè perquam diffi-
cile est plura de illis uel scire uel commemorare, quam
quantum ex uariorum autorum collatis scriptis pas-
sim colligere possumus. Quis enim nunc uel Fasoli,
uel Columbi, uel Furiosi, uel Boemi, uel similitum ue-
tustiorum Iureconsultorum uitas nouerit, cum de
his praeter nomen nihil restiterit? Itaque cum Opo-
rinus, eorum qui excudendis aetate nostra optimis
quibusque autoribus, nauant operam, doctissimus, a me
sepe contenderet, ut recentiorum Iureconsultorum
uitas colligere, & ueterum Iureconsultorum histo-
riae per Rutilium scriptae (quam post alias editiones ip-
se quoque denuo esset editurus) auctantem uice coniun-
gere non grauarer, equidem illi negaui operam meam,
cum intelligere facile possem, in obscura prorsus hi-

istoria uersandum mihi fore, nec me ferè quicquam præter ea quæ Baptista Caccialupus scripserat, de illis afferre posse. Nam Baldi Perusini opus de Commemorationibus famosissimorum Doctorum in utroque iure, nõ extat: et Thomæ Diplouatij Patritij Constantinopolitani libri XII de præstantia Doctorum, & clarissimis Iureconsultis, similiter supprimuntur, in quibus diligentissimus ille uir (teste Baptista Aegnatio) & Iuris ciuilibus dignitatem explicauit, & autores eius interpretesque omnes à Phoroneo ducta ferie, ad nostra usque tempora deduxit. Atque utinam illi ederentur tandem: frueremur iucunda uariisque Iureconsultorum cognitione, & similia colligendi studio liberaremur. Ceterum Oporinus cum finem instandi nullum faceret, ad extremum me eò compulit, ut reciperem me celebriorum tantum Iureconsultorum uitas per Periocham tractaturum, omnes enim ex æquo referre, & infiniti, & impossibilis cuiusdam operis fore uidebantur. Eam igitur tractationem ~~uere~~ tandem aggressus, breuissimè absolui. partim quod nec habebam quidem plura quæ commemorarem: partim quod ea quæ amplius habebam, non admodum digna relatu uidebantur. Et cum in uenirem alios aliorum interdum uariè meminisse, posui quod uerissimilius erat. Epitaphia quoque quæ in Italia obiter obseruaueram, quibusdam in locis inserui: non elegantia quidem causa, sed historiae, quo rectius tempora notarentur. Denique ut plenior esset hæc ueterum recentiorumque Iureconsultorum historia, subieci libellum & Indicem omnium scriptorum in Iure, tam ciuili, quam pontificio, ad hæc usque nostra tempora editorum. Et cum hæc confecta iam Oporino, sine auctoris tamen inscriptione, tradidisset,

sem, (neque enim dignum hoc opusculum iudicabam, in quo nomen aliquis suum profiteretur) uehementer ille instabat, ut quum historica nihil perinde ac fides commendaret (quæ plerumque eo ipso certior esse uideretur, quod de autore constat) sub meo pontissimum nomine ederem. Addebat uerò, et celebres olim scriptores, Plinium Secundum, puta, Suetonium, Hieronymum, Gennadium, & alios, non plenius Periochas suas illustrium uirorum, quam ipse fecisset, esse persecutos: nec tamen eius operam illos perdidisse, quin nomina sua libellis inscripserint. Quod igitur bene uertat, hoc opusculum ad te, Claudij Ptolemaei doctissime, mitto: non quod cogitem eo demereri iam te: sed cum biennio propè toto nullas ad te, amici tantum, tamque bene de me meritum literas dediderim, ut uel ex hoc certam quodammodo de amicis simi erga te animi mei constantia coniecturam capere posses. Bene uale, amice syncretissime,

Francofurti, kalendis Iulij, Anno

M. D. XXXIX.

INDEX.

Accursius. 229. 1. sero ad Iuris studium applicuit.	Ead. 18	244.	27
Accursij glossæ.	229. 3. 11.	Angelus Pauli de Castro F.	248. 10
Aeneæ Syluij historia Basiliensis Concilij.	249. 5	Antistius Labco.	247. 5
Albericus Rosates. 241. 26	(246. 2	Antonius de Butrio.	246. 25
Albericus Estensis Ferrariae Marchio Aldericus.	226. 22	Antonius de Tartagnis.	253. 14
Alexander Angeli F.	242. 9	Authentica glossæ ab Irnerio.	226. 3
Alexander de Tartagnis.	253. 1	Azco. 227. 15. legum fons, electionis	27.
Alexander Imolensis.	247. 18	luas.	
Aluarcus.	251. 7		B
Andreas Barbatius	239. 21	Baduinus.	230. 14. 23
		Baldus Perusinus.	240. 15
		Baldus.	242. 1. eius proles. 8. 27

INDEX.

B.A.	18	C
Baldus non imperitus ingeniorum iudex. 227.26	(242.23)	Carneadis memoria 249.10 Carolus III Imp. 241.19 Carolus VIII Gallorum rex. 255.20 Carolus Ruinus 254.15 Catharina Zasij F. 260.19 Cato Saccus. 254.9 Christophorus de Castiliano. 247.1 Clementia Zasij F. 260.18 Coneorum familia. 252.2 Cynae memoria 249.10 Cymus. 237.9 Cymisepulchrum. 234.23
Baldi cum Bartholo contentio. 243.16		
Baldi inconstantia. 242.18	243.14	
Baldi ingenium. 242.18	243.14	
Baldi quedam nondū edita. 243.30		
Baptista Caccialupus et 238.31.	235.14.	
Barnerius. 226.23		
Bartholus Saxoferratus. 238.17.		
siue de Saxoferrato. 239.5		
Bartholus ad pondus comedere solitus. 240.23	(242.23)	
Bartholi cum Baldo contentio. 239.5		
Bartholi de studio iuris opinio. 239.	23	
Bartholi erratum. 239.20.	rigor. 25	
Bartholi in explicandis legibus cessatio. 240.18		
Bartholi memoria. 240.27		
241.	10	
Bartholum multa habere præceptorum suorum. 229.5.	Fasolus. 226.24	
Bartholomeus Brixienfis. 233.18	Felitus. 253.25	
Bartholomeus Cepolla. 253.5	Fliscorum familia 231.2	
Bartholomeus de Saliceto. 245.24	Franciscus Accursus 229.29	
Bitina. 236.15	Franciscus Aldrouandus. 228.9	
Blanasco. 230.20	Frans. Baldi F. 242.8. 244.10	
Bonicothus. 236.14	Franciscus Tigri Pisanus. 240.29.	
Bonifacius Pergamensis. 235.20	Franciscus Zabarella. 251.9	
Bonifacij Pape & Benedicti Antipape schisma. 245.27	Frederici II Imp. abdicatio. 231.7	
Bononiae quando ceptum iuris studium. 225.20.32.	ca 20. sub Ferdinandi Ro. regis dominio. 260.11	
Bulgarius. 226.32		

INDEX.

G	10.	Petrutius
Georgius Funck. 260.19	Ioannes Pogliacensis. 242.13	
Glossæ authoritas. 229.16	Ioan. Pyrrhus. 244.38	
Glossas legib. primum apposuisse irnerium. 227.28	Ioannes Vdabricus Zasius. 260.22	
(sum 230.7)	Ioannes XXII. Pont. Max. 238.8	
Glossatores quare nulli post Accuriphon. 232.32	Ipso inter duos relatus. 234.6	
Guilhelmus Durandus. 232.32	Ipsonis die festo declamari solitum à iuris studiosis. 234.8	
H		
Henricus de Segosia 232.19	Imerius iuris Romani primus ex re-Hostiensis. 249.11	
Hortensij memoria. 245.9	centioribus iureconsultis restau- rator. 225.17	
Hugolinus. 226.27	Imerius glossarū primus autor. 227	
I		
Iacobus Aluarotus 251.7	28. lucerna iuris appellatus. 30	
Iacobus Balduini. 230.14	Italicorum professorum ingenij fo- uendi cura. 240.25	
Iacobus de arena. 234.30	Iulius Medices. 256.27	
Iacobus de Bello uiso. 233.12	Iuris cognitioni an nulla hominis est tas sufficiat. 229.22	
Iacobus de Butrigarijs. 238.27	Iustinus Goblerus 230.27	
Iacobus Philippus Bergomensis. 244.8.		
Iason Maynus, siue de Maino 254.8	K	
Innocentius quartus Pont. Max. 231.1	Kilianus. 226.23. 228.26	
pater ueritatis 231.10	L	
Ioachimus Zasius. 260.17	Ludouicus Pontanus 248.30	
Ioannes Andreæ. 235.17.	Lud. Pontani memoria. 249.8	
ti. 236.6. 238.13	Ludouicus Sportia Mediolan. Dux 227.7.	
Ioannes Bostianus. 227.7.	Lugdunens. Synodus. 231.6 (254.10)	
Ioan. Calderinus 236.11. 238.17	M	
Ioannes de Anania. 250.31	Malfitan. in bis directio. 226.10	
Ioan. de Blanasco 230.12	Marianus Soccinus. 260.25	
Ioannes de Imola 247.14	Marius Salomomus. 256.20	
Ioannes de S. Georgio. 236.16	Martinus. 227.8	
Ioan. Galea Mediolanensis Dux 243.	Martinus de Sulmannis 235.2	
27	Matrimonium uite portus. 240.7	
Ioannes Knapus 258.21	Matthæus 232.27 (245.13)	
Ioan. Maria Riminaldus. 254.1	Matthæus de Vbalais 242.9. 248	

I N D E X :

Memorie exempla	249.9	Praxeos usus Iuris studiosis quatuor	
Metradori memoria	249.11	239.	48
Muta Stylum & utilium, &c. pro- uerb. 236.	9	Raphael Fulgofius, & Comensis.	R
	N	(uij. 238.32)	
Nicolaus Alexander	241.22	Raynerius siue Reinerius de foro Li	
Nicolaus Baldi F.	242.10	Richardus de Malumbris.	235.6
Nicolaus de Castro.	247.28	hereseos damnatus	10
Nicolaus de Maturellis.	241.5	Riminaldus	254.1
Nicolaus Siculus	248.9	Robertus rex.	235.7
	O	Roffredus	228.23
Odofredus Irnerii non longo inter- uallo secutus.	227.18	Romanus.	248.29
Officialis.	233.31	Rotæ Collegium.	253.31
	S		
Obradus de Laure uel de ponte.	238.	Sandecorum familia.	253.25
s. Laudensis, &c.	236.4	Scipionis Africani uerba ad ingra-	
Othofredus.	231.29	tam patriam	243.11
	P	L. Senecæ memoria.	249.11
Panormitanus	248.18	Sigisbuldorum familia.	237.9
Paulus de Castro	247.20	Sigismundus de Vbaldis.	242.11
Paulus de Cittadinis	258.22	Simonidis memoria.	249.9
Pepo primus legum Bononie pro- fessor.	225.32	Simibaldus.	231.1
	225.32	Speculator.	232.31
			(255.18)
Petrus de Ancharano.	246.16	Spes unicum miserorum solatium	
Petrus de Assisio	239.6		T
Petrus de Bellapertica.	234.28	Theodectis memoria.	249.9
Petrus de Vbaldis 242.2. et 245.10			V
Philippus Cornicus.	252.21	Veritatem nullius præ iudicio graua	
Philippus Decius	255.8	ri debere. 231.16	(239.33)
Philippus Pulcher Galliarum rex.		S. Victoris locus prope Bononiam.	
Pisanū respub. semper turbulentiss.		Viglius.	226.12
ma.	240.5	(226.11)	Z
Pisas quando relatum Ius ciuile.		Vdabrics Zastius.	257.21
Placentinus.	227.5	Zastij scripta.	260.19
Polygraphum sibi per omnia sem- per constare, impossibile	243.19	Zenobius Baldi F. 242.8. & 244.9	

F I N I S.

VITARVM IVRECONSUL-
TORVM NEOPALAEORVM, HOC EST,
eorum qui post recuperatam Romani iuris
prudentiam, eandem & docendo & scri-
bendo professi sunt ad hæc usque
tempora, Periochæ.

Adde quæ apud Cæll.
Cæ. de Jurisprudentia.

PER IOANNEM FICHARDVM
FRANCOVRTENSEM.

IRNERIVS.



Vi uetustiorum post recuperatam Romani
iuris prudentiam Iureconsultorum mentionē
in scriptis suis fecerunt, Irnerium ferē omnes
tanquam primum illius Iuris restauratorem
celebrarunt. Quemadmodum enim Odofredus
(qui non ita longo eum intervallo insecu-
torus est) commemorat, cum Bononiæ primū artes liberales tantum,
publice docerentur, essetq; inter ipsos earum professores etiam hic
Irnerius, postea uero Ius ciuile Romanum recuperatum esset, & Bo-
noniam quoque importatam, cepit Irnerius, seposuit alijs studijs,
huic se totum dedere: tantaq; eius dignitate atque eleganter captus,
nullo etiam magistro, sedulo illi sua Minerva incumbere. Ceterū
cum eius usum utilitatemq; esse permaximam, & longe præstantem
intelligeret, illud profiteri etiam atq; docere alios primus instituit.
Primus item glossulas obscurioribus difficilioribus que locis appo-
suit. Qua de re & celeberrimum apud omnes nomen sibi compara-
uit, & primus Iuris prudentiæ illustrator, adeoq; lucerna Iuris, pas-
sim uocitari cepit. Quanquam enim (ut idem Odofredus scribit)
alius quidam, Pepo nomine, primus Bononiæ propria autoritate
leges esse professus feratur, tamen tam obscurus ille, tamq; nullius
nominis

In l. Ius ciui
le. ff. de iust.
& Iure.

Ff

nominis

nominis fuit, ut merito ante Irnerium nemo lus docuisse, dici possit. Neg. uero glossas tantum interlineares legibus, ut dictum est, apposuit: sed et Autenticas (sic uocant) ex ipso Autenticorum Iustiniani imperatoris uolumine, quam breuissime iuxta sententiam tantum desumptas, legibus Codicis eiusdem Iustiani inseruit: rem gratissimam simul, & commodissimam Iuris studiosis faciens. Eisi autem sint qui hoc alijs ex uetustis tribuant, communis tamen post Accursium (qui id compluribus in glossis Autenticarum testatur) opinio est, Irnerium Autenticarum authorem esse. Excessit è uisus hic Irnerius circiter Anni Domini M. C. XC. cum Ius ciuile ex Malfitanae urbis direptione in Italiam Pisas, ab ipsis Pisanis uictoribus esset relatum, Anno M. C. XXVIII. ut meminit Vigilius, uir absoluta non modo Iuris prudentia, sed & omnium adeo disciplinarum eruditione.

Vigilius.

HVGOLINVS, BVLGARVS, MARTINVS,
PLACENTINVS, IOANNES.

POST Irnerium increbrescere statim Iuris prudentiae studium cepit: nec descendentium tantum multitudo, uerum etiam doctorum copia fuit. Circa eadem enim tempora Anni M. C. XC., professi sunt leges, Hugolinus, Bulgarus, Martinus, Placentinus, Ioannes. ut alios interim obscuriores ignobilioresq; omitamus: quales fuerunt, Aldericus (qui tamen homo magnae auctoritatis à Rosfredo appellatur, & in Glossis Accursij saepe allegatur) Barnerius, Kilianus, Columbus, Fasolus, & similes, quorum nulla omnino monumenta extant. Nam & isti quos paulo ante commemorauimus, nihil admodum insignis & praeclearum praestiterunt: licet posteriores duo Summas quasdam post se reliquerint. De Hugolino quidem hoc refertur, quod ipse autor fuerit eius quam quidam Collationem decimam uocant. Primus enim libros Feudales, et Constitutiones Frederici utriusq; & Conradi Imperatorum collectas, Nonae collationi Autenticorum Iustiniani subiunxit, Decimanq; ex ijs Collationem (ut tradit Odofredus) constituit. Bulgarus uero, ex docendo tantum paucisq; glossis innotuit primum, & deinceps in posterorum

Vide Bal. in
proc. Feu-
do.

sterorum memoria permanit. Similiter & Martinus: sed non ad modum ille feliciter. Siquidem pleraeq; eius in iure decisiones, à posteris in controuersiam uocatae confutataeque sunt. adeo ut alicubi laison dicere non uereatur, Martinum nihil unquam sani ueriq; dixisse. Placentinus ad Montem Pessulanum Summas in Codicem, & libros Institutionum composuit: quae superioribus annis apud nos demum euulgatae, nec penitendae sunt. Ioannes Bosianus, Cremensis patria, similiter etiam ipse Summam conscripsit super Pandectas, sed breuiorem. Hanc Odofredus uentiosam Summulam uocat, & scribit solummodo ad Placentinum exagitantum editam, praeterea autem nihil boni continere. Fuit praceptor Azonis & Accursij, quare crebra ipsius per illos fit mentio. Floruerunt isti circiter annum M. C. XC.

Instit. de Ac
son dicere non uereatur, Martinum nihil unquam sani ueriq; dixisse. S. si mi-
nus. col. v.In l. i. ff. de
eden.

A Z O.

Azo Bononiensis fuit. Praeceptorem habuit Ioannem Bosianum Iuris prudentia reliquis aetatis suae iure consultis longe praestitit: quam publice Bononiae primum professus est. Inde uero a mulorum inuidia cedens, ad Montem Pessulanum se contulit, ibidemq; non minori cum gloria, cum illum optimus atq; studiosissimus quisq; eruditionis causa sequeretur, quasi priuatim docuit. Verum cum indies magis ac magis nomen ipsius celebraretur, uirtute inuidiam superante, Bononiam est reuocatus, magnoq; deinceps in precio fuit. Multos claros uiros erudiuit. Summam in omnes Titulos Codicis conscripsit elaboratissimam, doctorumq; omnium calculis primo loco receptam. Conscripsit etiam magnos apparatus super Digesto ueteri. Hunc Baldus (non imperitus ingeniorum index) plus semel, tanquam fontem legum, & uas electionis praedicat. De morte tanti uiri nescio quae ex maiorum relatione per quosdam feruntur, quibus tamen, quando eius rei nullum ex historijs aliorum uel scriptis iudicium habetur (quod ego quidem sciam) fidem haecenus habere non potui. Monumentum sane, quod ei mortuo positum est, & nunc ad uiam publicam prope turrim Sancti Seruati uidetur, etsi non ornatum sit, honorificum

E f 2 ficum

ficum tamen est cumprimis. Hanc enim habet inscriptionem.
 TRINITATI
 AZONI IURISCONSULTORVM
 NVMINI
 ANNO GRATIAE M. CC. HIC TVMVLATO
 IN SEPVLCRO VETVSTATE
 COLLAPSO
 AC INTER VDERA VIX AGNITO
 IO. FRANCISCVS ALDROVANDVS
 DICTATOR
 ET CONSULES BONON.
 P. IMPENSA
 CONCIVI SVO B. M. MEMORIAM
 POSVERVNT.
 ANNO SALVTIS M. CCCC. XVI.
 V. IDVS OCTOBR.

Nihil itaque uerisimilius est, quam citra notam uita defunctum esse eum uirum, cuius memoriam summi magistratus sacram habuerit, & ab interitu asserendam ultro sibi sumpserit. Ex epitaphio tempora uita colligi possunt.

ROFFREDVS.

Roffredus patria Beneuentanus, uir doctus & festini ingenij fuit: quod eius scripta satis indicant. quibus multis in locis opportunè suauiterq; iocatur. Praeceptore usus est Kiliano quodam, cuius tamen scriptum nullum extat. Audiuit etiam Azonem, ut ipse refert in Actione negatoria. proindeq; illum frequenter Dominum suum appellat. Post transmigrationem Bononiae (ut ipse uocat) professus est ius civile publice Aretij ubi & egregium illud opus Libellorum, & Quaestiones suas Sabbatinas edidit.

Floruit Anno M. CCCC. XV.

AC

His successit Accursus Florentinus, auditor Ioannis & Azonis, uir magni ingenij, & singularis industriae. Primus enim in uniuersum corpus Legu, ipsaq; singulas leges, Glossas conscripsit: cum superiores hoc solummodo in obscurioribus locis non ordine, sed passim, fecissent. De hoc dici potest, quod quidam de Bartolo dixerunt: praeclarum fuisse uirum, multa tamen habere praecceptorum suorum. Extabant enim iam tum complurium Glossae in leges: Inerij uideelicet, Bulgari, Martini, Placentini, Io. Azonis, & aliorum, de quibus tamen etiam tum Azonem conquereretur, quod legum notitia se penumero tenebris obscuraret. Ex his omnibus cum Accursus perpetuo ductum atq; contextu suas Glossas copiosius, quod essent absolutiores & ordinatiores illae, tum etiam quia reliquas in se continere uiderentur, sola deinceps ad haec nostra usq; tempora iuris studiosorum manibus uersatae, & ita ueteres abolitae sunt, in quantam uero auctoritatem deinceps illae apud omnem posteritatem excreuerint, nihil opus est commemorare, cum uulgatum sit illud, Glossae auctoritatem omnes excellere, & illi tanquam Carario ueritatis perpetuo adhaerendum esse. Sunt qui tradunt Accursium XXXVI Idemum aetatis anno iuris civilis studium esse ingressum: quod sane mirum uideri poterit illis, qui cum hunc excellentissimam iurisprudentiam consecutum esse fateantur, tamen affirmare, deq; eo contendere solent, nullam hominis aetatem huius disciplinae cognitioni sufficere, maxime si qui Bartoli opinionem (quod pleriq; illi faciunt) sequantur, qui negat praesumi post XXXV annum quicquam amplius a quo quod addisci posse. Sed stultissima illa sententia, multis etiam in hac legali disciplina exemplis, eorum hominum qui in clarissimos uiros, etiam sero studium capessentes, euaserunt, confutari potest: ut infra suis locis indicabitur. Professus est Bononiae, ubi relicto filio Francisco Accursio, ipso etiam iure consulto & professore, sed patre longè obscuriore, decessit. Sepulchrum est ad S. Franciscum Bononiae, ubi foris iuxta ingressum, illius monumentum, quod filio commune est, extat: hanc habens simplicissimam inscriptionem,

EF 3 SEPVL

in proce.
Sum.

l. f. in l. VI
uim. col. pe.
ff. de iust.
et iure.
Ludo. Ro.

In l. i. C. de
prof. lite.

SEPVLCHRVM ACCVRSII
GLOSSATORIS LEGVM ET
FRANCISCI EIVS FILII.

Quo anno decesserit, non satis constat. Floruit autem Anno
M. CC. XXVI, quo tempore (ut ipse refert) etiam Glossas
in Autenticorum volumine conscripsit. Cum hoc autem Accur-
sio finem ipsi Glossatores habuerit: cum post illum nemo fuerit, qui
Glossas amplius conscripserit. uel quod omnem glossandi materiam
am esse consumptam arbitrarentur: uel quod ipsam commentari-
di rationem maioris laudis & glorie ducerent.

IOANNES DE BLANASCO.

Ioannes de Blanasco Burgundus, non longo interuallo Accur-
sio insecutus, Bononia iura professus est. Fuit æqualis Iacobi
Balduini, qui & ipse tum magni nominis erat inter iuris profes-
sore: quanquam nullum post se scriptum reliquerit, sed per Odo-
fredi discipuli sua scripta potissimum in memoria remanserit. Ioannes
tamē de Blanasco in Commentarijs suis super Tit. de Actionibus in
Institut. aliquoties ipsius Balduini opiniones offert, ut nescias utrum
id tanquam lector, uel tanquam auditor fecerit. Hic Blanasco anno
M. CC. LVI. Commentaria illa de Actionibus, ut iam dixi, Bono-
niæ edidit: in quibus ueteres, Martinum, Placentinum, Azonem,
Rosfredum, Accursium identidem, & ipsum illum Balduinum non-
nunquam allegat. Multa in formulis Libellorum Rosfredi negligen-
ter tradita, uel omissa, notauit potius quam reprehendit. Ista com-
mentaria iam propemodum ignorata, aut saltem apud perpaucos se-
pulta, hac æstate in lucem restitui per doctissimum uirum Iustinum
Goberium iureconsultum, et illustriss. Principis Erici Ducis Brun-
swicensis Consiliariū, amicū nostrum, curauimus. Scripsit Blana-
scus & Ordinem iudicarium, satis docta tractatione, qui publice
extat. & (ut quidam tradunt) Variarum questionum librum unum.
Amplius de ipso nihil habeo compertum.

INNOCEN

Inibalduus (qui postea Pontifex Max. factus, Innocentius quar-
tus dictus est) lanuensis, ex nobili Fliscorum familia fuit. Au-
diuit Bononiæ Azonem iam senem, Accursiū, & Iacobum Baldui-
num. Eruditione atq; prudentia omnibus ætate sua longe præstiiit.
quapropter & inter Cardinales cooptatus, & demum Pontifex
Max. creatus est. Tradunt eum post Synodum Lugduni habitam (in
qua Fredericū II. imperio abdicauit) cum ibidē longius moraretur,
Commentarios suos in Decretales conscripsisse. qui quidem Com-
mentarij in tanta apud posteros iureconsultos auctoritate dignatio-
neq; fuerunt, ut pleriq; patrem ueritatis Innocentium appellauerint.
In eo tamē à quibusdam reprehensus est, quod dum breuis esse labo-
rauit, obscurus fuerit. Hoc memorabile est, quod quanquam Pon-
tifex iam Commentarios illos ediderit, non tamen maiorem illos
auctoritatem aliorum scriptis habere ipse quoque uoluerit: inge-
nuèq; professus saepe fuerit, non hoc se cogitasse cum commentare-
tur, ut Glossæ suæ ius facerent. quasi diceret: Veritate nullius
præiudicio grauari, sed libera tam scriptorum quam lectorum iudi-
cia esse debere. Quæ in administratione Reipublicæ Christianæ
ante Pontificatum et postea gessit, nihil ad hanc historiam atinent:
sed peti possunt ex illis scriptoribus, qui uitas Pontificum Romano-
rum memoriæ prodiderunt. Scripsit hic Innocentius præterea de
iurisdictione imperij, & auctoritate Pontificis Romani, contra
Petrum Vincam, Apologeticum librum unum. Tandem XII
Pontificatus sui anno Neapolim à proceribus regni Siciliae euoca-
tus, ibidem moritur, sepultusq; ad Sanctum Laurentium est, Anno
Millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto.

OTTHOFREDVS.

Odem hoc tempore floruit Otthofredus, patria Beneuentanus,
Iacobi Balduini discipulus. Professus est Bononiæ magna cum gratia, id quod & ipsius Lecturæ satis ostendunt, quæ ui-
uida quadam energia, & lepida docendi ratione refertæ sunt. Non
enim legerit illum, sed propemodū audire, Lector sibi uideatur. Reli-
quit

Hof in c. so
let. de sen-
ten. excom.
lib. 6.